DE

TITULIS GRAECIS SEPULCRALIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI. MENSIS APRILIS A. MDCCCXC

HORA XII

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS LOCH
MEMELENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PHILIPPUS TRIBUKAIT, DR. PHIL.
MAXIMILIANUS WIESENTHAL, CAND. PHIL.

REGIMONTI
EX OFFICINA LEUPOLDIANA.
MDCCCXC.

GUSTAVO HIRSCHFELD

GRATO ANIMO

AUCTOR.

I.[1])

De titulis sepulcralibus antiquissimis (usque ad initium saec. V.)

Jam antiquissimis temporibus apud Graecos, qui quantum honoris et verecundiae mortuis suis religione adducti tribuerint, permultis et scriptorum testimoniis et reliquiis sepulcrorum veterum comprobatur, moris fuisse, quibus locis corpora mortuorum composita essent, monumentis insuper exstructis significare, ex Homeri carminibus, primo ingenii Graeci monumento, cognoscimus. Nec semel animadversum est[2]), apud Homerum monumentum illud sepulcrale, quod appellatur *σῆμα*, ex duabus plerumque partibus constare,[3]) busto[4]) — *τύμβος* — terra vel lapidibus coacervato — *ποιῆσαι, χέαι· τυμβοχοῆσαι* Φ 323 — et signo superimposito (*ἐπίθημα*), cui fere columellae forma erat — *στήλη* —: neque aliter Solonis legibus sepulcra describi ex Ciceronis verbis, qui l. l. bustum, monumentum, columnam nominat,

---

1) Haec dissertatio partem priorem quaestionis, quam de titulis Graecis sepulcralibus institui, continet. Alteram partem brevi alio loco publici iuris facere mihi proposui.

2) Postremo etiam a Peterseno in opere, quod inscribitur *„Reisen in Lykien“* cet. II (1889) p. 20 not. 2. Cfr. praeterea Weisshäupl *„die Grabepigramme der griechischen Anthologie“* (Vindobonae, 1889) p. 51.

3) Vide Λ 371, Π 457 = 673, Ρ 434, μ 14.

4) Cic. de legg. II 26, 64.

colligere possumus. Exornatum fuisse monumentum non invenio, praeterquam quod λ 77 et μ 15 remum insuper collocatum esse legimus, quo hominem ibi sepultum nautam fuisse significetur. Quamquam quidem talia sepulcra exstructa esse consentaneum est, ut signa essent mortuorum eorumque gloriam vel calamitatem posteris renuntiarent,[1]) tamen cum signis singulorum modo hominum nomina diu in memoria posteritatis coniuncta manebant, ut *Ἴλου σῆμα*[2]) in campo Troiano; saepe autem fama ad eiusmodi tumulos ex priscis temporibus in campo Troiano[3]) potissimum servatos accessit, cum in eo statu cultus victusque hominum nomina in lapidibus inscribi nondum potuisse perspicuum sit.

Sed paullatim cum litteras didicissent Graeci, ille mos nomina inscribendi increbruit, quo nova res accessit sepulcrorum propria, epitaphium: ac iam inter inscriptiones Graecas antiquissimae aetatis permultos eiusmodi titulos sepulcrales invenimus. Quodsi haec epitaphia antiquissima contemplamur, ecce eadem ipsa tria verba Homerica — *σῆμα, στήλη, τύμβος* — usitata invenimus, quibus sepulcrum eiusque partes describuntur, atque id quidem in titulis Corcyraeis metricis septimo fere saeculo a. Chr. n. dialecto Dorica conceptis: Kaib. epigr. Graec. 180 = IGA. 343:

Σᾶμα τόδε Ἀρνιάδα· e. q. s.

Kaib. 181 = IGA. 340:

Στάλα Ξενϝάρεος τοῦ Μεἰξιος εἴμ' ἐπὶ τύμωι.

Kaib. 181a Add. = IGA. 344:

Σᾶμ' Ἐχετ]ίμου ματρὸς ἐγὼ ἕστακ' ἐπὶ τύμωι
Πουλυνόϝας· σ[τοναχὰ δ' υἱῶι κατελεί]πετο ματρ[ός,

---

1) Cfr. verba Homeri *Η* 86 sqq. et λ 76:
ἀνδρὸς δυστήνοιο καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

2) *Κ* 415. *Λ* 166. 372. *Ω* 349.

3) Forchhammer, „*die Ebene von Troja*“ p. 20, cfr. B 811—814 *σῆμα Μυρίνης.*

ubi si priorem titulum conferimus et quae adhuc dixi, respicimus, initio item v. *στάλα* melius suppleatur aliudque nomen pro *[Ἐχετ]ίμου* inseratur. Neque enim umquam in titulis antiquissimae aetatis, etsi scriptum videmus *Στάλα 'πὶ Σθενείαι ἔμμι* (Cebrenae IGA. 503) vel *μνᾶμ' ἐπὶ Γάθωνι χάριστοκράτει* sc. *ἔμμι* (Thespiis IGA. 145) vel in Attica *σῆμα ἐπέθηκε θανόντι*, supra bustum sive tumulum (*ἐπὶ τύμβῳ*) ullum *σῆμα* commemoratur, cum hoc vocabulum potius pro toto sepulcro usurpari supra exposuerimus.[1]) Quare etiam Homerus non solum ait *τύμβον χέαι*, verum etiam *σῆμα χέαι* (*χεῦαι*) α 291, λ 75, Ζ 415, Η 86, Ψ 45. 257, Ω 799. 801, eandemque vim huius vocabuli ceteri tituli vetustissimi praebent, ut Corcyraei duo Kaib. 179 = IGA. 342:

Υἱοῦ Τλασίαϝο Μενεκράτεος τόδε σᾶμα
Οἰανθέος γενεάν· τόδε δ' αὐτῶι δᾶμος ἐποίει e. q. s.

(hoc sepulcrum hospiti in navigatione fluctibus obruto publice exstructum est) et Kaib. 180 = IGA. 343:

Σᾶμα τόδε Ἀρνιάδα· χαροπὸς τόνδ' ὤλεσεν Ἄρης
βαρνάμενον παρὰ ναυσὶν ἐπ' Ἀράθθοιο ῥοϝαῖσι
πολλὸν ἀριστεύϝοντα κατὰ στονόϝεσσαν ἀϝυτάν,

et tituli Corinthi in metropoli Corcyrae reperti, aetate ac forma his admodum similes, IGA. 15:

Δϝεινία τόδε [σᾶμα], τὸν ὤλεσε πόντος ἀναι[δής

et IGA. 18 = Collitz 3116 *Δρωπύλου τόδε σᾶμα.*

Accedunt etiam tituli Aeginenses ipsi quoque dialecto Dorica conscripti *Ἐγδήλου τόδε σᾶμα* IGA. 358 (saeculo quinto ineunte) et aliquanto postea Kaib. 188 = IGA. 362: *Γλευκίτα τόδε σᾶμα τοῦ Κυπρίου τοῦ Σαλαμινίου,* — cum omnes hos titulos eadem formula communi inchoare notan-

---

1) Nam quibus exemplis ex Anthologia Palatina haustis Weisshäupl l. l. p. 51 *σῆμα* pro v. *ἐπίθημα* poni demonstrat, ea nos hic in antiquissima testimonia inquirentes plane neglegere possumus.

dum est — et viginti fere epigrammata Attica saeculi sexti (Kaib. 1 sqq.), quorum unum tantum similiter orditur, atque priora, ut nomen mortui in genetivo casu ex vocabulo σῆμα pendente initio positum sit (Kaib. 6: σῆμα Φρασικλείας), cum pleraque hac fere formula „σῆμα ὁ δεῖνα (πατὴρ) τῷ δεῖνι παιδὶ ἐπέθηκε θανόντι" dicant, quis monumentum mortuo exstruxerit (ἐπέθηκε vel κατέθηκε, numquam ἀνέθηκε, raro ἔστησεν). Eadem fere formula epigramma Erythraeum IGA. 495 conceptum est:

> Τῷ δεῖνι] τόδε σῆμα μήτηρ ἐπέθηκε θανόντι
> Φανοκρίτῃ παιδὶ χαριζομένη,

in quo epigrammate cum Usenero (*altgriechischer Versbau* p. 33) nihil transpositis verbis mutari volo.

In Atticis titulis nonnumquam pronuntiatur, σῆμα illud simul monumentum, μνῆμα, virtutum mortui esse, (Kaib. 9. 17), cum semel tantum (Kaib. 1a Add. p. 517) sepulcrum ipsum μνῆμα apelletur, id quod in Boeotia[1]) e. g., in Thessalia,[2]) Amorgi[3]) usitatum est. Praeterea brevis laudatio mortui, ut σῆμα ἀγαθοῦ καὶ σώφρονος ἀνδρός vel ἀντ' ἀρετῆς ἠδὲ σαοφροσύνης similia[4]), alibi sententia quaedam, ut Homericum τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων[5]), nonnumquam — scilicet si inusitata est — causa mortis[6]) in his anti-

1) Kaib. 485. 486.

2) *Hermes* XX, 157 sqq., unde verisimile est etiam IGA. 325 = Collitz, n. 324 initio supplendum esse Μνᾶμα τ]όδ' . . . ἔσστασε.

3) *Athenische Mitteilungen* XI, 97 sqq. n. 2. 3. 10 (hic semper μνῆμα ἔστησε legimus).

4) Kaib. 2. 3. 4. 4a. 8. 9. 10. 17. CIA. IV, 2, 477 i.

5) Kaib. 7; cfr. posteriore aetate Kaib. 502, 6 et 249, 4. Eadem verba etiam in titulo satis recenti Iconii reperto (Sterett, *Pap. of amer. school.* II, n. 236) supplenda sunt.

6) Pugna Kaib. 1. 19 (cfr. 180. 182 al.), lues Kaib. 11. Alibi in mari vitam amisisse homines dicuntur: Kaib. 179. 463a Add., JGA. 330 cum supplemento.

quissimis epigrammatis Atticis legitur.[1]) Quibusdam in titulis adhortatio inest, ut viator praeteriens cum mortui cippum et nonnumquam etiam imaginem in lapide repraesentatam aspexerit, mortem eius lugeat, ut Kaib. 1a Add.:

μνῆμ' ἐσορῶν οἴκτιρ', ὡς καλὸς ὢν ἔθανε,

Kaib. 1:

Τέττιχον οἰκτίρας ἄνδρ' ἀγαθὸν παρίτω·

hunc versum (praeter nomen) iterum legimus in lapide Thessalico IGA. 325. CIA. IV, 2, 477 h:

Ἄνθρωπε, ὃς στείχεις καθ' ὁδὸν φρασὶν ἄλλα μενοινῶν
στῆθι καὶ οἴκτιρον σῆμα Θράσωνος ἰδών.

Et quod ex his verbis colligi potest, lapides sepulcrales *ἐγγὺς ὁδοῦ* collocatos esse, ut a praetereuntibus conspici et nomina legi possent, id in titulis Kaib. 3 et 10 aperte dicitur.[2]) Eodem consilio, ut operis pulchritudinem pro illis temporibus eximiam admirarentur homines, artifex notissimi illius cippi Orchomenii (Overbeck, *Geschichte d. griech. Plastik* fig. 23) nomen suum operi inscripsit his verbis (Kaib. 1098):

Ἀλξήνωρ ἐποίησεν ὁ Νάξιος· ἀλλ' ἐσίδεσθε·

itemque gloriandi causa in stela Sigeensi (IGA. 492) *καί μ' ἐπόεισεν Αἴσωπος καὶ ἀδελφοί* exaratum est. Neque is usus a titulis Atticis illius aetatis alienus est, cum non solum epitaphia metrica sed etiam ea, in quibus mera nomina mortuorum continentur, nonnumquam praeterea etiam artificis nomen tradant, qui monumentum, sive pictura sive anaglyphum sive statua est, fabricatus est. Itaque in decem cippis septem artificum nomina magis minusve integra exstant, ex quibus in quattuor lapidibus Aristionem Parium (Kaib. 1a. 2. 4. 6 = CIA. IV, 1, 477 a. b. I, 466. 469), in

1) cfr. Pervanoglu, *die Grabsteine der alten Griechen* p. 89 sq.

2) Similia etiam postea alibi habemus, ut Kaib. 182 Anactorii, *Bull. de corr. hell.* III, 316 Chii.

singulis Aristoclem (CIA. I, 464), Endoeum (Kaib. 13 = CIA. I, 477), Epistemonem (Kaib. 8 = CIA. I, 471), Callonidem (CIA. I, 483), Phaedimum in basi statuae sepulcralis nuper reperta (v. *Berl. phil. Wochenschr.* 1890 p. 138), praeterea ignotum quendam invenimus (Kaib. 17 = CIA. I, 482 de nomine litterae *HE* tantum cognoscuntur). Quibus ex reliquiis et fragmentis monumentorum per se ipsis exiguis, sed propter antiquitatem gravissimis, quid discere possimus de arte vetere in Attica exercitata, Loeschcke[1]) et Milchhöfer[2]) satis accurate inquisiverunt. Ex statuariis illis Aristio titulum hac forma inscribere solebat: Ἀριστίων Πάριός μ' ἐπο(ί)ησεν (gentilicium Πάριος nonnumquam omittitur), Endoeus quoque scripsit ἐποίησεν, cum in duobus aliis lapidibus imperfectum ἐποίει adhiberetur; in stela Aristionis legimus ἔργον Ἀριστοκλέους.

Ac vel ex his titulis apparet, monumenta illa insolita atque inusitata eo tempore fuisse, ut recte Milchhöfer de inscriptionibus metricis in Attica repertis animadvertit (l. l. p. 170), eas semper ob causas singulares et memorabiles conceptas esse: frequentiora tum magna illa familiarum sepulcra fuisse opinatur, nominibus carentia, qualia in ipsa Attica (prope locos „Spata“ „Menidi“ „Velanideza“) ex aetate multo priore servata invenimus. Nam si ex epigrammatis quaerimus, qui sepulti, qui superstites sint, plerumque patrem filio sepulcrum condidisse videmus, bis coniuges inter se (Kaib. 10. 13), bis fratrem fratri (Kaib. 12? CIA. IV, 1, 477 d), numquam autem, id quod natura saepissime fert, parentes a liberis condi. Cumque etiam in aliis epitaphiis metricis, quae quidem hac de re verba faciant, item plerumque parentes liberis mortuis epitaphium posuisse videamus[3]),

1) *Ath. Mitt.* IV (1879) 294 sqq., imprimis 302 sqq.

2) *Ath. Mitt.* V (1880) 170 sqq.

3) Cfr. Kaib. 179 (Corcyra), 484 (pater filiis duobus, ut videtur), 486 (ut tit. superior ex Boeotia), 495 (Erythris), JGA. 325 (ex Thessalia: mater filio). At Kaib. 181 a aliter res comparata est.

haud scio an morem istum non solum Atticorum sed universorum Graecorum fuisse cognoscere possimus, quamquam ex priscis illis temporibus testimonia, quae exstant, nondum suppeditant, ut certi quidquam de ea consuetudine excutere nobis liceat.

Ex omnibus titulis Atticis in uno (Kaib. n. 11.) lapis ipse quodammodo loquens inducitur, *λοιμῶι θανούσης εἰμὶ σῆμα Μυρίνης*, quam formam sicut superiorem illam „*τοῦ δεῖνος τόδε σῆμα*" (v. supra p. 3) ipsam quoque iam antiquissimis temporibus pervulgatam cognoscimus. Nam saepe etiam substantivo (*σῆμα, στήλη* cet.) omisso — neque solum in titulis metricis - praeter Corcyram (cfr. supra p. 2) eadem forma Aeginae[1]), in Boeotia[2]), in Thessalia (ibi exempla paulo recentioris aetatis sunt, ut *Hermes* XX, 157: *μνᾶμ' ἔμμι Πυρ(ρ)ιάδα* cet., saeculi V, *Ath. Mitt.* VII, 76 sqq. *Πολυξεναία ἔμμι* sc. *στάλα*[3]) cfr. ibid. p. 223, 1), in Aeolide[4]), Sami[5]), Amorgi[6]), Therae[7]), Sigei[8]), vel etiam Cymae[9]), et Naucrati[10]), adhibita est. Atque etiamsi huius aetatis testimonia lapidaria non ita multa exstant, hunc usum latius etiam propagatum fuisse inde colligere possumus, quod Lesbi quoque, quae insula antiquis titulis omnino caret, Erinna cum Baucidi Teniae amicae epitaphium scriberet, eodem modo lapidem dicentem fecit (Anth. Pal. VII, 712): *Νύμφας Βαυκίδος ἔμμι* — qua in re nihil hic nostra interest, utrum epigramma vere in lapide positum fuerit

---

1) IGA. 358. — 2) Larfeld, syll. 61. 359. 369. 370. Kaib. 486 *μνᾶμα . . . μ' ὁ πατὴρ ἐπέθηκε.* — 3) Quod v. *στάλα* hic suppletur, similia insunt in titulis Kaib. 181, 181a, CIA. I, 467 imprimisque Kaib. 206, ubi item stela loquitur; notus etiam frequentissimus in Thessalia usus adiectivorum patronymicorum, ut Kaib. 505 *Πουτάλα Πουταλαία κόρα, Τιτυρεία γυνά;* cfr. Meister *griech. Dial.* p. 196 sqq. 309. — 4) IGA. 503. — 5) IGA. 387. — 6) Kirchhoff *Stud.*[4] p. 33. — 7) IGA. 446. 449. — 8) IGA. 492 cfr. Kirchh. *Stud.*[4] p. 22—25. — 9) IGA. 528 *Δημοχάριδος εἰμὶ τοῦ . .* — 10) *Naucratis* pl. 30, 1 *Τεάω ε(ἰ)μὶ σῆμα.*

necne. Videtur ergo hoc proprium fuisse illius aetatis, nec solum ad titulos sepulcrales pertinere[1]), lapidem ipsum pronuntiare, quid sibi velit, a quo et cui collocatus sit: „cippus (vel imago) sum alicuius".

Itaque et ex hac forma et ex illa superiore (*τοῦ δεῖνος τόδε σῆμα*) causa repetenda est, cur in iis cippis, qui non epigramma sed mera nomina mortuorum ferunt, haec totiens illa aetate genetivo casu expressa sint; quem morem in Attica potissimum non solum sexto saeculo sed etiam initio saeculi quinti viguisse, undecim lapidibus[2]) probatur. (Bis tantum nomen patris additum est, in titulis filiae *κεραμέως* et Nausistrati *τοῦ Εὐθυμάχου*).

Aliter res se habet in insulis Thera et Melo, ubi alia forma nominis in cippis vulgata est; nam ex triginta fere nominibus, quae litteris omnium antiquissimis Therae in saxis incisa sunt, paene omnia nominativum, quattuor (vel quinque) modo genetivum praebent[3]). Qua re num nominativi forma antiquior habenda et genetivus fortasse postea demum ex alia quadam ratione ortus sit, hic non diiudicaverim: verisimile id esse mihi non videtur, etiamsi in titulis antiquissimis casus ille adhibetur. Namque id probabilius esse puto, utrumque genus designationis uno tempore diversis locis ortum esse, praesertim cum neque ullo modo omnes lapides Theraeos, qui genetivum exhibent, inferioris

---

1) Etiam tituli dedicatorii antiquissimi huc spectant, ut IGA. 407: *Νικάνδρη μ᾽ἀνέθηκεν* vel 409 *τοῦ αὐτοῦ λίθου εἰμὶ ἀνδριάς τε καὶ σφέλας* cet.

2) CIA I, 464. 467. 483—485. 488. IV, 1, 477 f. g. IV, 2, 477 k. l. m. Ornamenta et formas primarias omnium horum cipporum diligentissime A. Brückner, *Ornament und Form der attischen Grabstelen, Weimar 1886* percensuit atque exploravit (cfr. etiam *Ath. Mitt.* IV, 43 sqq. V, 164 sqq.); antiquissimas (p. 88 sqq.) stelas Theronis (CIA. IV, 1, 477 g), Antiphanis (ibid. 477 k, cfr. Brückneri tab. I, 1), Aristionis (I, 464), Lyseae (I, 468) esse cognovit.

3) IGA. 442. 446. 448 (?) 449. 469.

aetatis esse quam ceteros demonstrari posse videatur, et in diversis regionibus magnopere variare titulorum sepulcralium formas, saepissime infra animadversuri simus. Fortasse hoc interest inter has duas formas, ut nominativus positus sit, ubi illud solum spectabatur, ut nomen memoriae traderetur — qua re Therae non in cippis sed in vivo saxo saepius exaratum —, at contra, ubi illud premebatur, cuius sepulcrum vel stela alicubi exstaret, genetivus adhibitus sit. Singularis usus Meli exstat, ubi vel in antiquissimis illis cippis lapidis rubri aëtomate fastigato aut semicirculari ornatis, quos Ross alteri periodo, quam fecit, tribuit, sicut postea saeculo quinto quartove ad nomen mortui in nominativo positum nomen patris in genetivo casu accedit[1]).

In uno lapide Theraeo (IGA. 449), quem imaginem pictam tulisse apertum est, artificem se nominasse videmus: *Θαρ(ρ)ύμαχος ἐποίει*, ut supra p. 5 sq. in terra continenti artifices ex insulis ortos invenimus. Itaque cum insulanos in ipsam Graeciam transmigrasse cognoscamus, Therae autem incolam Doricae hexapolis Asiaticae sepultum esse videamus (si recte intellegitur tit. IGA. 452 *ἐξ ἑξαπόλιος Δωριεύς*) his quoque monumentis id, quod iam aliunde de insulis maris Aegei conclusum est, comprobatur, per eas tamquam per pontem antiquissimis illis temporibus commercia et migrationes hominum inter Graeciam et orientis terras factas esse.

Nomina mortuorum in nominativo casu posita — quae forma nostrae aetatis hominibus maxime idonea videtur — praeter duas insulas, quas commemoravi, hac aetate aliis

1) Tituli compositi sunt a Kirchhoffio *Stud.*^{4} p. 68 sqq. Sed Gustavus Hirschfeld, qui mecum de his titulis Meliis communicavit, valde se dubitare professus est, num tempus eorum recte sic constitutum sit, quia litterarum ductus, vel eorum qui antiquissimi habentur, tantam diligentiam atque aequabilitatem prae se ferant, quanta ista aetate plane inaudita sit.

quoque locis occurrunt, ubi aliae formae magis usitatae sunt, ut Corinthi (*Κλειτόλας* IGA. 16), in Boeotia (IGA. 124. 126. 130 saepius), Leucade (*Μικύθας* IGA. 338), Aeginae (*Μενεκράτ[ης] Φοῖνιχς* IGA. 351) Acris prope Syracusas (*Λῦσις ὁ (Χ)ιμάρου* IGA. 507, *Συϝώι* 508), in Attica numquam.

Ad titulos Amorginos formandos metrica epitaphia multum attulisse verisimile est; cfr. *Ath. Mitt.* XI, 97 sqq.

n. 2: *Ἀηρσίων Ξενοκρίτης μνῆμα ἔστησε,*

n. 3: *Στάφυλις μνῆμα ἔστησεν ἀδελφῆι Ἀλ(εκ)σοῖ;*

huc pertinet etiam IGA. 392: *Σωτήριχος μνῆμα Πυθάρχηι.*

Restat, ut titulos Boeotios cum Phoceis paullo accuratius contemplemur, quippe qui iam inde a saeculo sexto usque in medium saeculum tertium dialecto domestica compositi vel infimis temporibus formam plane singularem praebeant.[1]) Nam hic epitaphia cum nulla priorum formarum congruunt, sed hoc modo concepta sunt: Kaib. 485 = IGA. 145: *Μνᾶμ' ἐπὶ Γάθωνι κἀριστοκράτει,*

Kaib. 486 = IGA. 146:

Μνᾶμ' ἐπ' Ὀλαϝείδαι μ' ὁ πατὴρ [ἐ]πέθηκε θανόντι

et similiter in Aeolide IGA. 503:

Σ[τάλ]α 'πὶ Σθενείαι ἔμμι τῷ Νικιαίω τῷ Γαυκίω[ι.

Nomina ergo mortuorum nec genetivo nec nominativo casu exhibentur, sed dativo pendente ex praepositione *ἐπί*, ut significetur, lapidem in mortuo, i. e. in eius tumulo positum esse, qua re ad Corcyraeos titulos hi propius accedunt, ut (supra p. 2)

Στάλα Ξενϝάρεος τοῦ Μεἰξιος εἰμ' ἐπὶ τύμωι.

---

1) Cfr. quae de tempore, quo hi tituli conscripti sint, Kirchhoff ait *Stud.*[4] p. 140.

Aliae deinde formae, ut Lebadeae *ἐπὶ Προκλεῖί εἰμι* (Larfeld syll. n. 61), Tanagrae *ἐπὶ Fεκαδάμοε εἰμί*, similes (Larfeld 359. 369. 370), quae eiusdem generis sunt, cuius Atticae illae *Δεξανδρίδου εἰμί* cet.,[1]) quodammodo transitum faciunt ad illos titulos, qui plerumque ad extrema antiquitatis tempora in Boeotia usitati fuerunt, Larfeld n. 1: *ἐπὶ ΒακεύFαι, ἐπὶ Δέχσωνι* al. — quamquam non dico, hos omnes recentiores esse, quam pleniores illos (hoc non ita esse, litterarum specie nonnullorum perspicue ostenditur), sed tangere modo sententiam volui, quae huic dictioni tam singulari subest. Jam si hunc usum Boeotiae proprium item in solo titulo funebri antiquiore, qui ex Asiatica Aeolide exstat (IGA. 503), reperimus, hac re id comprobari videmus, quod traditur,[2]) Boeotios inter veteres Aeolidis colonos fuisse, cum simul ad adiectiva patronymica et ad dativos *τῷ* sine iota et *Σθενείαι, Νικιαίωι* cum iota, quod vocant, adscripto exaratos analogiae ex dialecto Thessalica afferri possint (cfr. IGA. 327), cui familiaritatem cum Aeolica esse constat.

Sed ne in Boeotiis quidem titulis usum domesticum solum inveniri ac nomen saepius in nominativo poni iam supra p. 10 vidimus.[3]) Mirum est Thebis ante saeculum II. a. Chr. n. numquam formam in reliqua Boeotia frequentissimam (*ἐπὶ* c. dat.) exstare. Praeterea afferendum est, praeter Larf. 357 (*ἐπὶ Λυσανίαε Ἱαρόνδα[ο]*) hic bona aetate nusquam in ea forma tituli nomen patris adhibitum esse. Postea Boeotii quoque a lege vetere decesserunt vulgatasque

---

1) CIA. I, 484. 467. IV, 2, 477 l.

2) Meister, *griech. Dial.* p. 3 sqq.

3) IGA. 260 praeter epitaphium forma Boeotiae propria conceptum nomina *Κιτύλος* et *Δέρμυς* figuris anaglypho repraesentatis in nominativo casu adscripta sunt.

formas receperunt, cfr. LeBas II, 718 = Keil, syll. 39; 62; *Ath. Mitt.* III, 351 sqq. n. 33. 55. 56. — Singularis est genetivus nominis Haliarti in epithaphio metrico Larf. 142:

Καλλία Αἰγίϑϑοιο· τὺ δ' εὖ πρᾶσ[σ' ὤ]παροδῶτα.

II.

De titulis sepulcralibus saeculi quinti

(post bella Persarum).

Quoniam de forma atque indole titulorum sepulcralium antiquissimorum in priore capite disseruimus, convertamus nos ad epitaphia insequentis aetatis, saeculi quinti, quae quamobrem peculiari contemplatione digna sint, ex iis quae infra exponemus apparebit.

Gravissimi omnium lapidum sepulcralium, quotquot ex quinto a. Chr. n. saeculo in Graecia exstant, ii sunt, qui ad memoriam virorum in crebris atrocibusque pugnis illius temporis occisorum exstructi sunt: ex hoc genere monumentorum quam maxime manifesto cognoscere possumus, quae vestigia illa bella ingentia, quibus saeculum quintum abundabat, in privata hominum vita reliquerint. Non quo ex hoc spatio a bellis Persarum permulti tituli sepulcrales nobis relicti sint — immo cum si antiquiora tempora, saeculum septimum usque ad initium quinti, tum si insequentium, a saeculo quarto, copiam conferimus, contra opinionem pauci reperti sunt —, sed extat numerus non ita magnus catalogorum, qui vocantur, quibus permulti cives una enumerantur, qui in singulis proeliis vel etiam totis bellorumannis ceciderunt. Ex his eos potissimum commemoro, qui in Attica inventi sunt — horum sex et triginta plus minusve mutilatos Kirchhoff in CIA. collegit —, in magnis

tabulis marmoreis inscriptos, quae monumentis publicis[1]) a civitate vel singulis tribubus pro mortuis exstructis, impositae erant.

Jam si quaerimus, qua ratione et forma hi catalogi confecti sint, duo genera discernere possumus: in uno[2]) pugnae, in quibus cives illi ceciderunt, supra scriptae sunt et mera nomina mortuorum tributim subsequuntur; in altero genere, quod est usitatissimum, mortuorum nomina tributim enumerantur et intra tribus nonnumquam sectiones secundum singula proelia factae sunt, ut CIA. I, 432, 446. Singula quaedam, velut peregrinos inter cives honoratos admissos, pedites et nautas seiunctos, alia, v. Wilamowitz (*Kydathen* p. 83 sqq.) tetigit. Quidam ex his catalogis praeterea epigramma in mortuorum gloriam confectum praebent, quo virtutes eorum et mors fortiter oppetita praedicatur (CIA. I, 441 coll. IV, 2 p. 107. I, 442. IV, 2, 446a. 462a). De tempore horum monumentorum dicendum est, ea post initium saeculi quarti non iam poni solere, cum ultimum illud monumentum esse verisimile sit, quo ἱππέης anno 394 Corinthi occisi honorantur (CIA. II, 1673), de quo vide, quae infra p. 27 exposita sunt.

Neque vero solum in Attica sed etiam in aliis Graeciae regionibus quinto saeculo titulos funebres virorum in bellis occisorum reperimus, ut in Boeotia prope Thespias inscriptiones polyandrii illius (Kirchhoff *Stud.*[4] p. 140 sq.), in quo cives in pugna apud Delium, ut videtur, anno 424 occisi, sepulti erant, et Tanagraeum lapidem anni 426 (IGA. 157). Fortasse etiam nomina, quae in tabula Chii apud sepulcrum quoddam inventa (*Bull.* III. 316 n. 5) leguntur, talem mortuorum catalogum efficiunt. Quid? quod in Megaride quarto etiam p. Chr. n. saeculo epigramma

---

1) δημόσιον σῆμα, cfr. Thuc. II, 34.

2) Exemplum luculentum est CIA. IV, 2, 446a; sed etiam CIA. I, 433 huc pertinere videtur, etsi ibi mortui unius tantum tribus sunt.

in monumento „heroum" in bello Medico occisorum, quod Simonidis esse dicebatur, cum mutilatum esset, restitutum est (Kaib. n. 461). In Laconia singularem morem invenimus, quo viris in bello interfectis propinqui domi simplicem lapidem memoriae causa posuerunt, cum verbis ὁ δεῖνα ἐν πολέμῳ sc. ἀπέθανεν, qua de re recurrendum est ad ea, quae *Ath. Mitt.* I, 230 sq. exposita sunt. Quod uno in lapide additum est ἐν Μαντινείαι (IGA. 77 b Add.), recte ad pugnam in bello Peloponnesiaco anno 418 commissam relatum videtur; sed diu in Laconia hunc usum permansisse, exempli gratia tit. Le Bas II, 283 ostendit, ubi eadem verba ἐν πολέμῳ cum vocabulo χαῖρε, quod a tertio demum saeculo in titulis sepulcralibus nomini additum esse alio loco ostendam, coniuncta sunt.

Accedunt ad haec complura epigrammata metrica eiusdem aetatis, uno vel pluribus distichis plerumque concepta, quae sepultum pro patria pugnantem cecidisse tradunt. Talia e. g. in epigrammate satis antiquo Anactorii reperto, feruntur (Kaib. 182):

ὅς περὶ τᾶς αὑτοῦ γᾶς θάνε μαρνάμενος.

Similibus verbis in titulo Thessalico vetusto (*Hermes* XX, 157 sqq.) dicitur: πὲρ γᾶς τᾶσδε πολλὸν ἀριστεύων ἔθανε, quae aperte congruunt cum versu tertio tituli Corcyraei Kaib. 180 πολλὸν ἀριστεύοντα e. q. s.) vel IGA. 328:

ἀπέ[θ]ανε ἀριστ[εύ]ουν [χ]θονὸς ἐπ' ἀρούρ[ας].

Eadem quoque in epigrammate Thisbeo exstant (Kaib. 487): ὅ]ς ποτ' ἀριστεύων ἐν προμάχοι[ς ἔπεσον.

Ex Attica huc pertinent etiam Kaib. 24 et 25 (= CIA. II, 2717 et 2646), quae ipsa quoque quinto saeculo orta esse hodie constat[1]). Hi duo tituli iam ad posterioris temporis

1) Cfr. Brückner, „*Ornam.*" p. 36 sq. et 62 sq.

consuetudinem propius accedunt, quo non ut antea omnibus, qui una occisi erant, communia, sed singulis sua monumenta exstruebantur.

In lapide Berolinensi (Kaib. 25 = *Verz. der antiken Skulpt. d. kgl. Mus. zu Berlin* n. 742) ad epigramma alia quoque res accedit, qua mortuus in proelio cecidisse significatur, anaglyphum dico, quo eques peditem nudum proculcans insigni arte repraesentatus est (*Arch. Zeit.* 1863 tab. 169); ille eques est vir sub hoc lapide sepultus, qui fortiter pugnans, ut cecidit, in hoc monumento expressus est. Quare eiusmodi monumenta minime omittenda sunt, si bene noscere quinti saeculi epitaphia volumus. Exempla alia, quae mihi innotuerunt, afferam: tres bellatores etiam in anaglypho nunc amisso expressi erant, ad quod Kaib. 21 = CIA I, 442 pertinet; militem armatum porro Lisam Tegeatam videmus (v. *Bull.* IV tab. VII coll. Brückner „*Ornam.*" p. 37 n. 1 cum not. 2); equitem monstrat pulcherrimum illud anaglyphum in villa quae dicitur Albani servatum (*Arch. Zeit.* 1863 tab. 170), atque eiusdem generis est monumentum, quo Dexileos a suis honoratus est (*Revue archéol.* VIII 1863 tab. 15 = CIA. II, 2084), quod etsi iam initio saeculi quarti positum est, ad formas vetustiores exsculptum videtur.[1])

Neque Atticae tantum finibus hunc usum coerceri lapis Corinthius[2]) testis est, quo *'Αλκίας Φωκεύς* simili habitu partim sculptura partim pictura pugnans descriptus est. Sed quod praeter hunc cippum militis Phocensis Corinthi humati alia exempla extra Atticam affere nequeo, causam inde repetendam esse pro certo affirmaverim, quod cipporum saeculi quinti omnino numerus valde exiguus adhuc exstat.

Nam praeter hos titulos militares, ut ita dicam, per-

1) Cfr. Furtwängler, *Samml. Sabur.* praef. p. 41, 8.
2) *Ath. Mitt.* XI, tab. V et p. 150 sqq.

paucos modo ex tota Graecia et insulis congerere potui, quos etiam quinto saeculo tribuere audeam. Quare qui in hoc numero collocandi esse mihi videntur, hic subsequantur.

Primum pars titulorum Boeotiorum, de quibus vide supra (p. 10 cum nota); deinde de Thessalicis duo anaglypha (*Ath. Mitt.* VII, 78. VIII, tab. 2. 3 = Collitz n. 343 sq.) cum verbis *Πολυξεναία ἔμμι* et *Fεκέδαμος*, titulus Coll. 328 *Ἀφθονείτω Μανιχείω*[1]) eius aetatis, qua antiquiores alphabeti formae in recentiores converti coeptae sunt, nec non epitaphium IGA. 326 a Dittenbergero (*Hermes* XIII, 395 sqq.) tractatum *Ἀλκιμάχου [Σ]εκυώναθεν*, tum ex Epiro IGA. 331 *Ἁρμονόα*, de insulis plerique tituli Aeginenses (IGA. 351 sqq.)[2]), epigramma Chii inventum et *Bull.* III, 316 n. 4 editum, fortasse etiam Sami *Σωκράτο(υ)ς Λαμπτρέως* (*Bull.* V, 489 n. 18) propterea quod demoticum Atticum in genetivo casu positum est[3]), ex Melo insula porro epitaphia ex tertia, partim etiam ex quarta periodo Rossii, eadem forma, qua priora, conscripta[4]), et titulus *Ἐπόνφης Ἀθηναῖος Πανδιονίδος φυλῆς Κυθήρριος*, de quo *Bull.* I, 44 sqq. actum est, Erythris IGA. 494 *Ἀριστοκλέ[ο]υς γυναικὸς το(ῦ) Τηλεφάνεος Ἑκαταίης τῆς Λεονύδος*, ex Aeolide IGA. 504: *Πύθα Ἀπελ[λέος], Φε(ι)δίο(υ) γύ[να.*

Haec omnia epitaphia sunt, quae mihi innumerabiles fere et undique congestos titulos omnium temporum atque regionum perlustranti hac aetate orta esse visa sunt[5]); quae cum et per diversa Graeciae loca disiecta neque continuo temporis spatio coniuncta sint, certi quidquam de forma vel usu huius saeculi cognosci non potest. Illud dicendum

1) Cfr. Meister, *griech. Dial.* p. 297 et 303.
2) Cfr. supra p. 7 not. 1 et p. 10.
3) Cfr. infra p. 21, 1.
4) Kirchhoff, *Stud.*[4] p. 68 sqq.; sed vide, quae supra p. 9, 1 annotavi.
5) De titulis Atticis vide caput III.

est, in aliis lapidibus easdem, quas antea, nominum formas apparere, in aliis nonnumquam iam nomen patris et gentilicium (ἐθνικόν) additum esse, id quod in Attica potissimum insequenti aetate pervulgatum esse videbimus: ut paullatim quinto saeculo veteres formae titulorum sepulcralium mutatae novaeque ortae esse videantur. Nusquam autem tam aperte atque dilucide hoc cognosci potest, quam in Attica, ubi epitaphiorum numerus ad quintum saeculum pertinentium, etsi adhuc non ita magnus erat, tamen his proximis annis aliquanto auctus est. Sed cum in his brevibus epitaphiis unum nomen saepe exhibentibus vel minimae differentiae dignae sint, quae commemorentur, neque sine accurata et per longius tempus continuata titulorum comparatione constantes certaeque leges statui possint, cumque Corpore inscriptionum Atticarum cum duobus supplementis nuper absoluto via munita sit, qua Attica epitaphia hoc modo examinari possunt, iam ceteris Graeciae partibus praetermissis e re videtur esse, de titulis sepulcralibus Atticis separatim quaestionem facere, praesertim si normam in finibus saeculi quinti et quarti hic constitutam non solum in Attica per omnia tempora valuisse, sed etiam in ceteras Graeciae regiones propagatam esse videbimus.

III.

De titulis sepulcralibus Atticis.

A. Quomodo recentiores nominum formulae saeculo V. ex veteribus ortae sint.

Optimo iure U. Köhler (*Ath. Mitt.* X, 359) mirum esse dixit, etsi tituli sepulcrales Attici Persarum bellis superiores haud rari exstiterint, titulos his bellis inferiores ad id tempus (annum 1885) quattuor tantum ante Euclidis

annum innotuisse. Cuius simul rei causam eam esse ostendit, complures titulos iam antea notos, qui quinto saeculo orti essent, propterea cognitos non esse, quia secundum consuetudinem privatam non semper alphabetum mere Atticum adhiberent, sed litteris Ionicis, quae vulgo quarti demum saeculi propriae habebantur, exarati essent. Ipse triginta septem titulos partim ineditos composuit, quos ob causas epigraphicas spatio inter bella Persarum et Peloponnesiacum tribuendos esse duxit. Quorum de forma maxime proprium iis esse ait „das Fehlen fester, conventioneller Formen", „die Regellosigkeit in den Formen der Buchstaben und in der Fassung", si cum titulis prioris aetatis comparentur. Neque multo post Kirchhoff, cum hos titulos repeteret in CIA. IV, 2, 491^{1-35}, ibidem p. 117/8 de genere ac forma omnium, quae tum erant, quadraginta quattuor vel quinque titulorum sepulcralium saeculi quinti disseruit atque in titulis peregrinorum Athenis constantem quendam usum nasci coepisse, civium autem qui demotico significentur omnino duos tantum titulos eiusdem temporis esse ostendit. Sed quod promisit fore, ut nonnulla alia epitaphia Euclidis anno superiora cum inscriptionibus quarti et sequentium saeculorum ederentur, nuper, cum a. 1888 CIA. II, 3 publici iuris factum esset, peractum est, nec minus quam triginta numeros in hoc volumine inveni, quos Koehler magis minusve confidenter quarto saeculo antiquiores esse duxit.[1]) Accedunt complures lapides cum epitaphiis,[2]) quos Brückner a forma tectonica quam nunc dicunt

---

1) CIA. II, 2112. 2341. 2636. 2687. 2742. 2982. 3016. 3060. 3071. 3184. 3187. 3208. 3237. 3370. 3503. 3538. 3590. 3662. 3713. 3753. 3790. 3820. 3907. 3927. 3961. 4043. 4082. 4098. 4178. 4275 (n. 3790 satis incerte!).

2) CIA. II, **2646** = Kaib. 25 (Brückner „*Ornam.*" p. 36 sq. 62 sq.). **2867** = Kaib. 54 (*Wiener Sitzgber.* vol. 116 p. 525. Furtwängler, *Samml. Sabur.* praef. p. 41, 12). **3386** (*Ornam.* p. 37, 1. 48. 69. *Bull.* IV, tab. VII).

profectus item quinto saeculo tribuit, deinde sex tituli a Koehlero in *Hermae* vol. XXIII (1888) p. 474 sq. editi, tum fortasse *Ath. Mitt.* XII, 29 n. 53 et XIII, 358 n. 733 *[Κα]λλιστράτ[ο(υ)?]*, ut numerus titulorum sepulcralium huius generis, qui quinto saeculo tribui possunt, nunc certe altero tanto maior sit, quam quos Kirchhoff l. l. tractavit.

Atque si secundum tabellam a Schützio in „historia alphabeti Attici" compositam, in qua pro littera ν forma *N* post Ol. 83,3 non iam exstat, et secundum tab. I apud Reinachium (*traité de l' épigraphie grecque* p. 204), titulorum sepulcralium quoque tempus definire vellemus, ex CIA. II, 3 is numerus, qui ad id tempus pertinerent, magnopere augeretur. Sed tamen quamquam plane haec regula ex titulis publicis accurate conceptis ad titulos privatos transferri nequit, hac re adducimur, ut denuo aetatem nonnullorum investigemus. Hosce titulos civium Atticorum inveni, quos Koehler, etsi formam *N* habent, quarto saeculo antiquiores esse non notavit:

CIA. II, 1714 (*N* et N), 1754, 1918 (*N* et N), 2039 (in v. *ΛΕΟΝΙΤΟΣ* mendum inest, ut hic titulus plane omittendus sit, quippe qui in columella rotunda scriptus vel ob formas *M, Π, Σ* maximeque Ὀρχιέως — v. Meisterhans, *Gramm. d. att. Inschr.* § 6, 1b. 2 — Romana aetate vix sit superior), 2058, 2134 sq., 2274, 2338 (N et *N*), 2391. Ex his n. 2391 propter complura scripturae indicia (interpunctionem, litteras *N*, +, semel *O* pro *ου*, *Καλιστώ* pro *Καλλιστώ* positum) et formam acroteriorum pictorum antiquis parem[1]) saeculo quinto tribuere non dubito, atque etiam n. 2274 (*N*, *O* = *ου*) collato titulo n. 2687, quia v. *θυγάτηρ* alibi

---

3430 (*Ornam.* p. 70). **3984** (*Ornam.* p. 38, 4. 42. *Verz. d. antik. Skulpt. z. Berlin*, n. 737. Furtwängler, *Samml. Sab.* tab. 19). **4040** (*Ornam.* p. 38, 3. 48. 64. tab. II, 2). **4079** (? *Ornam.* p. 66, 1. 70).

1) cfr. Brückner, *Ornam.* p. 48 n. 12 et Ross, *Arch. Aufs.* I tab. 1.

numquam hoc loco ponitur, quinti saeculi esse mihi videtur: quamquam minime me fugit, rem difficillimam esse, solum ex litterarum ductu typis expresso vel delineato, cum lapidem ipsum inspicere non licuerit, aetatem tituli constituere, saepiusque quidquid antea pro certo affirmari posse visum sit, uno aspectu monumenti ipsius falsum deprehendi.

Jam si paullo accuratius hos titulos saeculi quinti examinamus, mirari debemus epigrammata metrica tam rara existere, cum antiquiore tempore creberrima fuerint; nam exceptis epigrammatis infra catalogos illos occisorum exaratis ad Kaib. n. 22 et 23 accedunt nunc etiam n. 24, 25, 36, 54, 73, 76,[1] 87 (cfr. CIA. II, 3961. 4082), ut inter omnes titulos privatos nunc 9 metricos et 75 solutos habeamus, cum antea metrici 28 et soluti 11 fuerint.

Ac primum quidem de epigrammatis pauca dicamus. Cum in prioris aetatis epitaphiis Atticis monumentum sepulcrale uno tenore *σῆμα* appellaretur, bis (Kaib. 9 et 17) dictum esset, hoc *σῆμα* esse *μνῆμα* virtutum mortui, haec duo verba semel etiamnunc (n. 21) opposita videmus, alibi vox *μνῆμα* ipsum sepulcrum significat (n. 54. 87), sicut *μνημεῖον* (n. 23): ita vel his ipsis verbis significatur, sepulcrum hominis mortui familiaribus superstitibus non iam solum signum esse, quo loco ille sepultus sit, sed monumentum ad memoriam illius exstructum, id quod etiam taeniis et sertis, quae sepulcris imponebantur (Kaib. 73; cfr. imagines vasorum fictilium), exprimitur. Plerumque autem in epitaphio monumentum non commemoratur, sed sepultus ipse loquens inducitur (Kaib. 22. 23. 25 al.), qui mos hoc demum tempore ortus paullo postea antiquiorem illum, ex quo lapis sepulcralis loqui solebat, repressit. De

1) Necropolim ad St. Trinitatem iam saec. V. fuisse Köhler *Hermes* XXIII, 474 sqq. ostendit; cfr. titulos CIA. II, 3753. 3927. 4043. 4178 ibidem repertos.

verbis χαίρετε οἱ παριόντες (n. 22. 23.) alio loco dicendum erit. Kaib. 36 epitaphium hospiti Selymbriano publice positum est; epigrammatis n. 76 et 87 dolor ac maeror exprimitur, quem homo ibi sepultus morte sua propinquis excitavit: talem sententiam praeter tit. Kaib. 16 a Kirchhoffio restitutum hic primum expressam reperimus.

Jam si ad titulos mera nomina exhibentes transimus, nunc cum numerus eorum tanto maior redditus sit, eo clarius etiam inaequabilitas illa atque licentia formarum cognosci potest, quas Köhler l. l. notavit. Nam cum nonnulli antiquiores plane usum saeculi sexti servaverint, infimi iam aperte formas quarto et insequentibus saeculis vulgares adhibeant, contra alii, qui ab illis ad hos quodammodo nos traducunt, variis formis certam quandam normam deesse ostendunt. Sic ex usu vetere merum nomen in genetivo exhibent: Kaib. 36 = *Ath. Mitt.* X, 366 n. 12: Πυθαγόρο(υ), ibid. n. 13 Δοκίμο(υ), CIA. IV, 2, 491^{23} Χάρτο(υ), ibid. 491^{24} Ἀθηνοδότο(υ), CIA. II, 3016 Θράιττης, 3538 Ἀρχίππης, 3713 Εὐμάρο(υ)ς, 4043 Ξυνέτης.

Addunt nomen patris in genetivo casu, articulo vel addito vel omisso, tituli CIA. IV, 2, $491^{5.28}$; II, 2982; 3503; gentilicium item in casu genetivo nomini adiungunt CIA. I, 489; II, 3187; *Hermes* XXIII, 475 n. 5 atque etiam CIA. II, 2561 Πολυστράτο(υ) Στιριῶς, quem titulum propter id ipsum item huic tempori attribuerim, nisi aliae causae obstent.[1]) Frequenter etiam occurrit solum nomen mortui in nominativo positum, haud raro ipsi imagini in stela vel tabula repraesentatae adscriptum (CIA. IV, 2, $491^{3.8.11}$ al.) Saepe peregrinorum nomini gentilicium in nominativo additum est, nonnumquam etiam nomen patris (IGA. 562; CIA. IV, 2, 491^{33} II, 3753. 4098. *Ath. Mitt.* XII, 92 n. 53), denique

1) V. etiam Σωκράτο(υ)ς Λαμπτρέως, epitaphium Attici coloni Chii inventum, supra p. 16, 3.

utrumque coniunctum, quae forma postea vulgata est (IGA. 13 Ἀπολλόδωρος Διοκλείδα Μεγαρεύς, CIA. IV, 2, 491$^{13.15.16.20.21.}$ II, 2341; 2391 al. *Hermes* XXIII, 475 n. 4. 6.) Ter non ad mortuum, sed genetivo casu ad patrem nomen gentilicium refertur, quod alias in mulierum tantum nominibus fieri solebat.[1]) Quod in titulis 2274 et 2687 vox θυγάτηρ loco alibi plane inusitato posita est, id item in hoc tempus quo certa norma nondum constituta erat, quadrare videtur; conferenda sunt, quae supra p. 19 sq. et infra p. 30 k annotavi.

Singularis est tit. CIA. II, 3503 cum variis nominibus, inter quae etiam mater mortui nominata est: qui lapis, quamquam complures viri docti dubitaverunt, tamen sepulcralis videtur esse. Quater formulam habemus Athenis rarissimam ἐνθάδε κεῖται ὁ δεῖνα (CIA. IV, 2, 491$^{27.29.30.34.}$); ad nomen mulieris appositum est γυνὴ ἀγαθή IV, 2, 491^{29}, γυνὴ ἀρίστη 491^{31}; ad nomen viri ἀνὴρ ἀγαθός 491^{4}. De titulo Φιλίππη. Ἐμμένου χώρα cfr. *Ath. Mitt.* X, 572 n. 34.

Restant novem vel decem tituli huius saeculi, in quibus civium nominibus demoticum adicitur: CIA. IV, 1, 548. IV, 2, 491^{35}. II, 2112. 2274. 2341. 2391. 2561 (si supra p. 21 recte conieci), 2636. 2646. 2687. Cum inde a Kumanude (Ἀττικῆς ἐπιγραφαὶ ἐπιτύμβιοι, a. 1871 p. 452) pro certo haberetur, nullum epitaphium Atticum ante Euclidem demoticum nomini adiectum exhibere,[2]) Kirchhoff primus hoc respicere supersedit, qui CIA. IV, 2, p. 118a titulos CIA. IV, 1, 548 et 2, 491^{35} ante Euclidem scriptos esse contendit. Secutus est Koehler, cum in CIA. II, 3 titulos n. 2112, 2341, 2636, 2687 quarto saeculo antiquiores esse censeret;

---

1) Cfr. Köhlerum in *Ath. Mitt.* X p. 574, ubi etiam duas alias res tetigit.

2) V. e. g. Reinach, *traité de l'épigr. gr.* p. 424, 1. Hinrichs in Iwan Mülleri *Handb. d. klass. Altertumswss.* I, 471.

atque etiam Brückner (*Ornam.* p. 36 sq. 62 sq.) fragmentum Berolinense anaglyphi sepulcralis propter causas ex arte operis petitas, quinti saeculi esse affirmaverat, etsi *Φλυεύς* inscriptum est (CIA. II, 2646). Titulos n. 2274, 2391, 2561 ipse huic tempori tribuere ausus sum. Quibus in titulis omnibus alphabetum Atticum iam in Ionicum transformatum apparet.[1]) Quare quod de usu demotici Kumanudes posuit, id ita videtur corrigendum esse, ut in nullo epitaphio litteris Atticis (ante Euclidem usitatis) concepto demoticum adhibitum esse statuamus.

Ac profecto si varias formas hoc tempore usitatas et ab antiquo more ad recentiorem immutatas percensemus, nonne multo melius quadrat ad huius aetatis tenorem, hunc quoque usum paullatim extremis quinti saeculi decenniis ortum longiusque propagatum esse, quam subito ex unius anni edicto adeo increbruisse, ut statim initio quarti saeculi hanc formulam plane vulgarem habeamus? Accedit quod etiam in praescriptis senatusconsultorum et in rationibus pecuniarum eiusdem temporis demoticum pariter in nomenclatione usurpari incipere videmus. Conferendi e. g. sunt deinceps hi loci:

CIA. I, 32 A: *Μνησίθεος ἐγραμμάτευε* Ol. 86,2
I, 37 v. 48: *ἧι[Πλ]ειστίας π[ρῶτος ἐγραμμ]ά[τευε* Ol. 88,4
I, 40, 2 *Φ[αίνιππος Φρυνίχο(υ) ἐγραμμάτ[ευε* Ol. 89,1
I, 45 et 46: *Προκλέης Ἀτάρβο(υ) Εὐωνυμεὺς ἐγραμμάτευε* Ol. 89,4

itemque I, 59 (Ol. 92,3) al. Vide etiam CIA I, 179 (Ol. 86,4); I, 180—183 (Ol. 90,3—91,2) cet.

---

1) Aegre fero, quod in singulari epitaphio coloni Attici Meli reperto (*Bull.* I, 44 sqq.), quo littera *E* etiam pro *η* posita est, unus locus, quo litteram significantem *λ* invenire nos exspectamus, tam mutilus est, ut nihil certi de eius forma cognosci possit.

Quare omnino nulla re nos prohiberi opinor, quominus principia eius formae nominum etiam in usum privatum iam ante Euclidem irrepsisse statuamus atque, etiamsi demoticum adhibeatur, titulum quinto saeculo posse exaratum esse iudicemus. At illo ipso anno (403 a. Chr.) graves leges de civitate rursus renovatas esse constat.[1]) At ne postea quidem omnes cives in epitaphiis demoticum nominibus adiecisse tituli ut CIA. II, 1790 exemplo esse possunt, ubi ad nomen filiae demum additur, qua de tribu Callicles pater ortus sit, vel II, 1873, ubi Theophanten inter „homines originis incertae" sectionis quartae receptam fuisse apertum est, nisi etiam lapis n. 1874 forte repertus esset: atque quod cives hac de causa incogniti in sectione quarta Corporis I. A. lateant, diiudicare nos omnino non posse in propatulo est.

B. De titulis quarti et sequentium saeculorum.

Iam si ad copiam epitaphiorum Atticorum nos convertimus, quae quarto posterisque saeculis orta in Corpus I. A. universa recepta sunt, id potissimum nobis agendum est, ut quibus formis tituli concepti sint, quam diligentissime pervestigemus, cum eaedem formae a quarto saeculo a. Chr. n. usque ad extrema tempora imperatorum Romanorum plerumque permanserint. Cumque ad eam quaestionem utile videatur esse, eandem quae in CIA. vol. II, 3 et III, 2 facta est partitionem in cives, peregrinos, homines incertae originis retinere, nunc a titulis civium Atticorum exordium faciamus. Unum etiam, quod ad ceteros quoque titulos Atticos pertinet, praemittam, nihil aliud epitaphia Attica — exceptis, si quae sunt, epigrammatis — continere, nisi nomen mortui in nominativo casu

---

1) Cfr. Iwan Müller, „*Handbuch*" IV, 1 p. 142, 3.

positum, cum nihil de vita rebusque vel aetate hominis mortui addatur.

Quare etiamsi perbreves tituli isti simplicissimi videantur, tamen nomina ipsa digna sunt, quae uberius pertractemus. Nam et masculinorum et femininorum nominum formae ex tribus partibus — nomine proprio, patris nomine, gentilicio aut demotico — constantes tam fixae atque usitatae sunt, ut ad exempla haud ita multa referri possint. Talia exempla, quae forma tantum alterutrius partis vel positione singularium vocabulorum plerumque inter se differunt, ex omnibus formis nominum, quae in Attica saepius reperiuntur, infra contuli, virorum primum, deinde feminarum, a Graeca aetate exorsus, Romanorum temporum varietates deinceps subiuncturus.

1. Cives Attici.

Civium nomina his formis obvia sunt:

a) CIA. II, 1754 *Δεινοκράτης Δεινοκράτους Αἰξωνεύς*: forma longe usitatissima, cum demoticum plerumque attributive nomini mortui addatur.

b) CIA. II, 1812 *Εὔμαχος Εὐθυμάχου Ἀλωπεκῆθεν*: nonnulla demotica adverbialiter usurpata sunt.

c) CIA. II, 2197: *Ἀρτέμων Δημητρίου ἐκ Κοίλης*: genetivo pendente ex praepositione *ἐξ* hae tribus tantum significantur: *ἐκ Κεραμέων, ἐκ Κηδῶν, ἐκ Κοίλης, ἐκ Κολωνοῦ, ἐκ Μυρρινούττης* (saepius *Μυρρινούσιος*), *ἐξ Οἴου*: talis designatio demi in nominibus feminarum Romana aetate frequens est; cfr. infra p. 32.

Totidem formae similes oriuntur, si nomen patris omittitur:

d) CIA. II, 1700 *Ἀρχιάδης Ἁγνούσιος, Πολεμόνικος Ἀθμονεύς.*

e) CIA. II, 2150 *Ἱεροκλῆς Κεφαλῆθεν.*

f) CIA. II, 2393 *Ξεννέας ἐξ Οἴου*.

Si praeter nomen patris etiam eius, qui adoptavit, affertur, haec forma exstat:

g) CIA. II, 2179 *Ξενοκρίτης Ἀσκληπιάδου Κηφισιεύς, γόνωι δὲ Ἡρακῶντος Ῥαμνουσίου*; similiter 2458 *Φιλῖνος Διοφάντου Πειραιεύς, γόνωι δὲ Ἀριστομένου*, cfr. III, 1459. 1645. 1706. 2083.

Hae formae nominum a finibus quinti et quarti saeculi per omnia tempora in Attica vulgares manserunt; perpauci tantum tituli Romanae aetatis, nulli fere Graecae, ab his discrepant:

h) CIA. II, 1916 *Δημέας Γλαύκωνος Ἀχαρνέως*, 2259 *Πολύφιλος Φάνου Κρωπίδου*, III, 1632 *Τιβέριος Κλαύδιος Θεόφιλος Τιβερίου Κλαυδίου Θεμιστοκλέους Βησαιέως*, III, 1739 *Στράτων Ἀνδρονίκου τοῦ Καλλίου Κηφισιέως*[1]) (in hoc titulo ad patris etiam avi nomen accedit).

In his cippis si demoticum in genetivo casu positum ad nomen patris refertur, hac insolita forma non idem significari puto, quod aliis, quas supra composui, sed consulto dici, filium non eiusdem tribus esse ac patrem: cuius rei duas causas invenio. Nam siquis ab homine in alia tribu inscripto adoptatur, eum non patris nativi demotico sed eius, qui adoptavit, uti, supra formula g) demonstrat: sed ex omnibus eiusmodi exemplis apparere videtur, patrem nativum tum plerumque postponi, quare verisimile non est, eius nomen in lapide commemoratum, patris adoptivi omissum esse. Praeterea filius tribui patris non adscribi solebat, si ex concubina patris vel muliere peregrina natus erat, quarum liberi *νόθοι* ab Atheniensibus vocabantur: ac tales homines in his, de quibus agimus, titulis nominari mihi quidem verisimillimum est.[2])

---

1) Duobus his locis a Dittenbergero non recte genetivum in lapide exaratum in nominativum transcriptum esse iudico.

2) At cum eiusmodi matrimonia vel concubinatus Athenis fre-

Jam ad singulare quoddam epitaphium bonae aetatis transeamus, cuius forma mirum quantum ab omnibus aliis omnium temporum abhorret, ut paullo accuratius hoc loco de eo agere necessarium sit. Incisus est titulus in notissima illa stela Dexilei, cuius anaglyphum pulchrum iam supra attulimus (p. 15),[1]) quae in magna illa via sepulcris utrimque distincta ad Dipylum prope ecclesiam St. Trinitatis inventa est; editus est nunc CIA. II, 2084:

Δεξίλεως Λυσανίου Θορίκιος
ἐγένετο ἐπὶ Τεισάνδρο(υ) ἄρχοντος
ἀπέθανε ἐπ᾽ Εὐβο(υ)λίδο(υ) ἄρχοντος
ἐγ Κορίνθωι τῶν πέντε ἱππέων.

Legimus igitur post nomen mortui (in forma hoc tempore usitata), quo anno natus, quo mortuus sit (414/3 et 394/3 a. Chr. n.) et Corinthi eum occisum esse in numero quinque equitum — quos una cecidisse consentaneum est. Jam si conferimus epitaphium CIA. II, 1673 in epistylio monumenti publici in Ceramico inscriptum, quo equites enumerantur, qui una cum duce Corinthi et Coroneae occisi erant, eundem hunc Dexileum nominatum videmus. Quare quinque illos equites omnes inter equites in hoc altero monumento inscriptos iterum receptos esse verisimile est et in separato monumento Dexilei verba *τῶν πέντε ἱππέων* propterea posita esse, quod egregio fortasse facinore tunc ipsum nobilitati erant. Pausanias quoque (I, 29,11) cum hanc viam sepulcris ornatam describit, monumentum civium Corinthi occisorum commemorat, quod ad idem hoc bellum anni 394 relatum est. Sed cum in catalogis illis mortuorum quinto saeculo Athenis frequentibus semper omnes

---

quentes fuerint, nec facile *νόθοι* civitate donari soliti sint, mirum videatur esse, quod tam exiguus numerus eorum ex cippis agnosci possit: at dubitandum non est, quin pleraque nothorum epitaphia nullo alio signo cognita inter titulos „hominum originis incertae" lateant.

2) cfr. *Rev. archéol.* VIII (1863) 351 sqq.

cives una occisos etiam una si non sepultos at certe inscriptos viderimus, hic autem equites soli nominentur, Koehler hoc sepulcrum iis a superstitibus, quibuscum una dimicaverant, separatim exstructum esse opinatur. Dexileo vero hoc monumentum a consanguineis eius positum esse vel inde apparet, quod eodem fere loco cippi hominum eiusdem familiae inventi sunt.[1]) Sic viro monumento publico honorato a familiaribus separatim sepulcrum conditur. Hinc facile causa eius facti repetenda est, quod supra p. 13 et 15 tetigimus, quod catalogi publici mortuorum exeunte saeculo quinto evanescunt: nam tum familiares superstites unumquemque suorum proprio sepulcro humari voluerunt.

Insignis est hic titulus etiam, quod annus, quo Dexileos natus et mortuus est, traditur, ut non solum quo tempore, sed etiam quam diu vixerit comperiamus. Nam inter omnes omnium temporum cippos Atticos nullus invenitur, in quo aetas significetur; is mos omnino in epitaphia Graeca sub Romanorum denique imperio nonnullis locis receptus est. Etiam vitae annos in lapide sepulcrali inscribere Romanum est; Athenis in duodecim modo titulis sub imperatoribus conscriptis (CIA. III, 1438. 1447. 1450 sqq.), si epigrammata praetermittimus, annorum numerum invenimus.

Omnino aetate Romana conservatas quidem formas titulorum principales sed alias leviter mutatas videmus; ut in compluribus lapidibus, quos vivus aliquis sibi ponendos curaverat, ad vulgarem nominis formam v. ζῇ, ut in Latinis „vivit" apponitur (CIA. III, 1440. 1684. 2081. 2110. 2135; cfr. infra p. 39) CIA. III, 1807 *Πόπλειος Κορνήλιος Χιονίδης Λαμπτρεύς, Ποπλίου Κορνηλίου Νηρίτου Λαμπτρέως υἱός* demoticum et ad patris et ad filii nomen positum est et v. *υἱός* ut Latinum „filius" additum, cfr. *Journ. for promoting hellen. stud.* V, 155 n. 22. Nonnullorum duo nomina afferuntur: III, 1490 *Δημήτριος*

1) Cfr. Friederichs-Wolters n. 1005 p. 330.

Γλαύκωνος *Ἀζηνιεύς, ὁ ἐπικαλούμενος Ἀκόντιος*, III 1946 *Διοκλῆς Πρωτογένου Παμβωτάδης, ὁ καὶ Εὐτυχᾶς*, cfr. peregrinum 2604 *Ἄρεσκο[ς ὁ] καὶ Φίλερ[ως] Μιλήσ[ιος]* et similia in mulierum nominibus III, 1906. 1554. Contra morem huius aetatis duo nomina in genetivo posita sunt III, 1837 *Αἰ. Ἰουλιανοῦ Μαραθωνίου* et 1865 *Αὐρ. Ὑγίνου*;[1]) sed infima aetate saepius omnibus fere locis tales formas singulares invenire possumus, quae etsi vel antiquitatis speciem affectant, omnino nullius momenti sunt.

In quattuor titulis III, 1471—1474 nominibus mortuorum non demoticum sed nomen gentilicium *Ἀθηναῖος* additum est, res sane mira, cum in patria nusquam gentilicium adhiberi soleret: et de his quattuor titulis unum 1472 in Attica inventum esse pro certo confirmatur; nam n. 1473 ex Attica provenisse omnino nego, quia vocabulum *χαῖρε* additum est: viget enim adhuc illud Kumanudis,[2]) in nullo cippo civis Attici, ne Romanis quidem temporibus, v. *χαῖρε* inveniri.

De loco sepulcri in aliquot titulis vox *τόπος* usurpatur ab Attica dictione alioquin abhorrens[3]) III, 1443. 1866, a peregrinis 1425. 1432 sq., a christianis 3514 sq., sicut more externo III, 1866 sepulcrum etiam saeptum habere dicitur (cfr. 1425a Add. *ἀπὸ τοῦ κατόχου*).

Haud secus atque virorum etiam feminarum Atticarum nomina in certis quibusdam formis in lapidibus apparent, de quibus quae antea falsa plerumque divulgata erant, Kumanudes refutavit primusque verum ostendit in annotationibus ad n. 43 et 611 (*Ἀττικ. ἐπιγρ. ἐπιτ.*) Has formas omnibus temporibus ordinarias inveni:

---

1) Nomina in genetivo posita etiam infra p. 38.
2) *Κουμανούδης, Ἀττικῆς ἐπιγρ. ἐπιτ.* p. 455.
3) Cfr. Koehlerum *Ath. Mitt.* X, 372 ad n. 34.

i) CIA. II, 1705 *Μύννιον Χαιρεστράτου Ἁγνουσίου* vel k) 1707 *Νικαρέτη Κτησικλέους Ἁγνουσίου θυγάτηρ*: demoticum nomini patris, non mulieris ipsius additur; in hac forma v. *θυγάτηρ* suo loco positum est, quo semper usurpatur: in duobus tantum titulis aliter collocatum est, de quibus v. supra p. 19 sq. et 22.

l) 1682 *Καλλιστὼ Νικοφίλου Ἀγγελῆθεν*; eadem nominis forma etiam in Aristophanis Thesm. v. 898 invenitur *Κρίτυλλα Ἀντιθέου Γαργηττόθεν*, quae fabula anno 411 edita est: nam hae formae universae non solis titulis sepulcralibus inventae sed omnino sollemnes sunt, quibus cives Attici nominantur.

m) 1869 *Ἀρίστυλλα Παμφίλου Ἀγ(κ)υλῆθεν θυγάτηρ.*

n) 2141 *Ψ?]αλὶς Ἀρχεστράτου ἐκ Κεραμέων*: haec forma aetate Graeca rarissime invenitur, cfr. 2391 (saec. V) *Καλιστώ*: *Αἰσχίνο(υ)*: *ἐξ Οἴου* supra p. 19.

o) 2213 *Καλλιστράτη Αἰσχίνου ἐκ Κολωνοῦ θυγάτηρ*: de hac demotici forma v. supra p. 25 c et infra p. 32 v.

Numquam autem bona aetate tale nomen mulieris invenitur, quale in catalogo musei Berolinensis (a. 1885 edito) n. 758 (= CIA. II, 2080) suppletum est: *Δημητρία Δημητρίου Θ[ορικία]*, ut demoticum Atticum attributive ad ipsum feminae nomen relatum sit, sed semper ad patrem vel maritum refertur.[1]) In adverbii tantum forma nonnumquam nomine patris omisso demoticum ipsius feminae nomini apponitur p) CIA. II, 2114 *Ῥόδυλλα Ἰκαριόθεν*, 2685 *Φάνυλλα Ὤαθεν.*

Matronarum nominibus non solum patris sed etiam mariti nomen addi solet, saepissime utrumque cum demotico, ut

1) cfr. Schoell. *Hermes* VII, 237. Sex titulos tantum inter tot milia inveni (CIA. III, 1480. 1530. 1651. 1711. 1843. 2167), qui contra hanc legem demoticum adiective ad feminam rettulerunt, sed hos quoque infima imperatorum aetate ortos et ad exempla nominum peregrinarum compositos. Plures inveniuntur in titulis illis Lenormanti suspectis.

q) 2133 *Μυρρίνη Θεοδώρου ἐκ Κεραμέων θυγάτηρ, Πολυκρίτου ἐκ Κεραμέων γυνή*; nonnumquam etiam v. *θυγάτηρ* vel alterutrum demoticum omittitur, ut *Ath. Mitt.* XII, 288 n. 211 a *Κτησικλεία Ναυσικράτο(υ) Κεφαλῆθεν θυγάτηρ, Πυθοδώρου γυνή*; praeterea saepius invenitur formula:

r) 2082 *Χαριτὼ Διογνήτου Θοραιέως θυγάτηρ, γυνὴ δὲ Φαιδρίου* vel 2388 *Εὐπορία [Εὐ]βίου, γυνὴ δὲ Εὐμαρείδου ἐξ Οἴου.*

Non congruit cum hoc usu nomen mariti ante patris nomen positum:

s) 1877 *Χρυσίον Ὀλυμπιοδώρου Ἀναφλυστίου γυνή, Ὑπεράντου Ἀχαρνέως θυγάτηρ* itemque 1863, 2144, 2193, quorum in altero et tertio titulo post demoticum mariti (*ἐκ Κεραμέων* et *Κοθωκίδου*) in CIA. v. *γυνή* suppleri debuit (cfr. Kuman. n. 611), cum certo exemplo comprobari posse non putem, vocem *γυνή* in eiusmodi titulis hoc sensu omitti.

Paullo verbosiores nonnulli tituli Romanae aetatis sunt, CIA. III, 1554 *Πομπηΐα Εἰσιὰς Γαΐου Πομπηΐου θυγάτηρ ἡ καὶ ἐξ Ἁλιμουσίων, Διονυσίου τοῦ Διογένους ἐξ Οἴου γυνή* et III, 1906 *Πῶλλα Μαικία Λανδίκη ἡ καὶ ἐξ Οἴου, Λευκίου ἐξ Οἴου γυνή.*

Nonnumquam patre omisso nomen mariti solum affertur:

t) II, 1769 *Μέλιττα Θεοφάντου Αἰξωνέως γυνή*, rarius

u) 2319 *Ἀριστόκλεια γυνὴ Ἀρξιφῶντος Μαραθωνίου* vel 2638 *Μελίτη Σπουδοκράτους γυνὴ Φλυέως.*

Quamquam Kumanudes (*Ἀττ. ἐπιγρ. ἐπιτ.* ad n. 340β′) in formis i) et l) non solum vocem *θυγάτηρ* sed saepe etiam *γυνή* supplendam esse putat, equidem virum in eiusmodi titulis genetivo casu exaratum numquam maritum habendum esse existimo, nisi voce *γυνή* ipsa apposita. Quare

non dubito, quin nomine masculino, quod in formulis i) et l) et aliis sescenties invenimus, aeque ac supra in formis a)—c), semper pater significetur, etiam cum mortuam matrimonii expertem esse non semper tam clare figuris in cippo expressis ostenditur, quam puellas *Μνησιπολέμη* Kum. 340β et *Μύννιον* in anaglypho, quod Brückner „*Ornam.*" in tab. II, 6 ex W. A. Thes. 49 edidit (v. p. 52.)

In uno titulo CIA. II, 2194 verbis *ἀδελφὴ δὲ Δημοφίλου Κοθωκίδου* nomen fratris additum est (cfr. 4003 infra p. 38); formam insolitam habet n. 2359 *[ἡ δεῖνα . .]ου Μυρρινουσίου θυγατρὶ ποθεινοτάτη[ι]* (cfr. II, 3481 et III. 3433 infra p. 39).

His formulis, quibus feminarum nomina vulgo exprimebantur, imperatorum aetate nova accessit, saepissime inde adhibita. Nam praeter vulgarem designationem i) secundum formam n) antea rarissimam iam omnia fere demotica genetivo pluralis ex praepositione *ἐξ* pendente redduntur:

v) CIA. III, 1489 *Δημητρία Διοτείμου ἐξ Ἀζηνιέων*, cum antea duo tantum demi (*ἐκ Κεραμέων* et *ἐκ Κηδῶν*), quarum nulla alia forma exstabat, in nominibus virorum et feminarum ita expressi sint. Quod vero S. Reinach (*traité de l'épigr. gr.* p. 425) dicit, in feminarum nominibus tribum omnino genetivo pluralis ex praepositione *ἐξ* pendente exprimi, opinio obsoleta est et iam diu a Kumanude (in annot. 17 ad n. 43) refutata, qui hunc usum non ante imperatorum tempora invasisse et ne tum quidem solum fuisse ostendit. Nam omnium septingentorum fere titulorum ex CIA. III, 2, ad quos haec quaestio pertinet, de centum et undenonaginta, in quibus nomen patris et demoticum aperte cognosci possunt, non magis quam undenonaginta inveni, qui novam formam genetivi pluralis cum praepositione *ἐξ* exhibent, novem praeterea cum designatione *ἐκ Κεραμέων*, *ἐκ Κοίλης* cet., quae semper etiam in virorum nominibus usitata erat, quinque autem et octoginta, qui vetere forma (genetivo singularis

adiectivi vel adverbio in — *θεν* exeunte, i—m) utuntur, praeterea sex illos,[1]) in quibus demoticum in nominativo casu attributive ad mulieris nomen appositum est.

Hinc apparet veterem designationem nominis i)—o) etiam Romana aetate non minus frequentem fuisse, quam recentem v)[2]).

Restat unus titulus CIA. III, 2200

Χαῖρε.
Ἀθηναεὶς Θεοκρίτου ἐ(κ) Λα(μ)πτ(ρ)έων,
Φαῦστος Λέοντος Μειλήσιος,

in quo contra constantem usum Atticorum v. *χαῖρε* ante nomen mulieris Atticae invenimus, quae viro Milesio nupserat. Quamquam in nullo alio lapide sepulcrali civium Atticorum hoc *χαῖρε* obviam venit, tamen Romanis temporibus, quibus varii usus externi etiam in civium titulos invaserunt, eum quoque morem, ex quo *χαῖρε* in cippo mortui inscribitur, semel in Atticae quoque mulieris epitaphio inveniri non ita mirum esset, si forte in ceteris Milesiorum cippis — nam Milesio viro haec mulier nupserat — is mos vigeret. Sed cum ex plus quam trecentis titulis Milesiis in Attica repertis unus modo (III 2804) *χαῖρε* illud habeat, suspicionis causa haud exigua videtur data esse. Accedit differentia litterarum verbi *χαῖρε* et nominum, quae vel in inscriptione CIG. 623 ex schedis Fourmonti impressa animadverti potest. Quibus causis adducor, ut *χαῖρε* illud ex priore usu[3]) huius lapidis ortum et errore tantum cum nomine mulieris

---

1) Cfr. supra p. 30 not. 1.

2) In CIA. II, 3 praeter n. 2256, quem titulum Koehler ipse imperatorum aetati tribuit, unum titulum n. 2569 (*Ἀντιοχὶς Λυσιμάχου ἐκ Μαραθωνίων*) inveni, qui hanc recentem formam nominis exhibet: quare eum (primo a Kumanude sub. n. 1160 editum) denuo investigari opus est, utrum re vera haec forma iam ante Romanorum tempora inveniatur, an forte is quoque lapis recentioris aetatis sit.

3) Cfr. quae infra p. 49 de lapidibus bis inscriptis contuli.

Atticae confusum esse putem. Quare hoc titulo refutari illud, quod iam inde a Kumanudis curis constat, non puto, in nullo epitaphio civis Attici vocem *χαῖρε* inveniri.

2. Peregrini.

Civium Atticorum nominum formas omnibus temporibus etiam peregrini sive *μέτοικοι* in Attica — initio quidem plane, postea vero cum licentia quadam — secuti sunt, cum ad nomen mortui in nominativo casu positum gentilicium adderent, addito vel omisso nomine patris: res sane memorabilis, cum in plerisque civitatibus peregrini eadem forma, qua domi consuerant, epitaphia concipere solerent.

Levis momenti est, semel nomina transposita esse *Παχράτης Ἀλεξανδρεὺς Ἀρέως* CIA. II, 2769.[1]) Num in tit. n. 2790 nomen mortui more vetere in genetivo casu positum sit, non diiudicaverim, quia titulus in latere mutilus videtur.

Feminarum nomina unam formam a civium consuetudine alienam habent, cum liceat gentilicium etiam ad ipsius mortuae nomen referre, non solum, ut demoticum Atticum, ad patris vel mariti, ut in titulo

w) II, 2736 *Ἀσκληπιὰς Μήνου Ἀγκυρανή*

et saepissime, Romanis temporibus semper, etiam sine nomine patris. Nec tamen deest forma Atticis usitata, ut 2752 *Νικασὼ Αἰγιναία, Φανὶς Εὐμάρους Αἰγινήτου*, 3273 (*Πλαταιειῶς*), 3344 (*Σινωπέος*), etiam 2883 *Εὐδαμία Πασίωνος Ἐρχομενίου θυγάτηρ* itemque 2770, 2813, 2941, 2950, 3146, 3152, 3163, 3189, 3355, 3363, 3372; sub imperatoribus rarissime quidem, ut III, 2273, 2282, 2426, 2913, semper cum v. *θυγάτηρ* praeter III, 2372 *Εὔνοια Τιμοξένου Ἀπαμ[έ]ος*. Una cum v. *θυγάτηρ* gentilicium adiective exstat II,

1) Cfr. ex saec. V. CIA. IV, 2, 491[26] *Διονυσοδώρου Ἀπολλωνίδης Χερρονησίτης*.

2860 *Μυρ?]ρίνη — ωνος [θυγάτ]ηρ [Βυ]ζαντία*, 2899, 2995 cfr. 3246.

Matronarum nomina eodem modo variare, quo supra civium Atticarum, apparet, si tituli II, 3355, 3246, 2737 cum formulis q), r), t) comparantur; sed forma usitatissima Romanis potissimum temporibus est haec:

x) III, 2891 *Ἀμμία Φίλωνος Σαμαρεῖτις, Εὐρύμονος Ἀντιοχέως γυνή*. Plane singularis est III, 2246 *Βρομιὰς Πάριδος Ἀλεξανδρείως, Ἐπιτυγχάνοντος γυνή*.

Peregrinae cum civibus nupserunt, simili forma utuntur, ut II, 2786 *Ἀπολλωνία Μενάνδρου Ἀμφισσαία, Καλλιμάχου ἐκ Κεραμέων γυνή*, 3006, 3127 (*γυνὴ ποθεινή*), 3215, 3218, 3291 b (Add. p. 356), 3333, 3395. Brevior formula haec est:

y) II, 2771 *Εὐπορία Ἁλικαρνασσίς, Ἕρμωνος γυνή*, similiter 3145, 3148, 3319. II, 2236 gentilicium in fine positum est: *Ἐμπεδὼ Θωμυρίωνος θυγάτηρ, Ἀρχεφῶντος γυνή, Αἰνιανὶς ἀφ' Ὑπάτας*.

In titulo II, 2755 *Εὐηθίδος Αἰγυπτίας Σαΐτις*, quem integrum non esse puto, nomen mortuae in nominativo casu positum deesse mihi videtur, quae Saïtis erat, cum matris Euethidis nomen Aegyptio more[1]) hic nominatum sit.

In plerisque regionibus Graeciae a tertio saeculo alius usus pervulgari coepit, de quo alibi uberius agendum erit: *χαῖρε* illud in lapide sepulcrali inscriptum vel adiectivum (*χρηστός, — ή*) nomini additum, quod item in nullo titulo civis Attici exstat. Quam verum autem sit, quod supra dixi, peregrinos in Attica rarissime tantum mores, quibus domi assuessent, in epitaphiis retinuisse, vel inde intellegi potest, quod de omnibus titulis huius sectionis in CIA. II, 3 paene septingentis soli sex[2]) v. *χαῖρε* exhibent, cum nomen

1) Cfr. e. g. CIG. 4822 sqq. imprimisque 4971 b Add.

2) CIA. II, 2805. 2831. 2844. 2965. 3196. 3253, quorum antiquissimi (2831. 2844) ex saeculo tertio; n. 3253 (*Ὀρχομένιος*) vix ante primum saeculum a. Chr. n.

etiamtum semper in forma vulgari exstet, et in septem[1]) modo *χρηστός* vel *χρηστή* additum est; atque etiam inter plus quam septingentos quinquaginta titulos aetatis Romanae, qua si alieni mores frequentiores invasissent, non esset, quod miraremur, quindecim[2]) tantum verba *χρηστός*, (— *ή*, — *έ*,), *χαῖρε* praebent. Huc accedunt perpauca similia, ut III, 2391 *Μέλας Ἀλεξίωνος Ἀσπένδιος φιλαθήναιος*; 2302: *Δημὼ Ἀντιόχισσα ἄλυπος*, sicut Antiochiae et omnino tota · Syria formula *ἄλυπε χαῖρε* usitatissima erat.[3])

Atque etiam in CIA. III, 2866 (*Κλαυδίωι Κλεάρχῳ Πομπηιοπολίτηι Κλ. Σ(ύ)ν[τρο]φος καὶ Λαρκία Ἀρχελ[αΐς]*) et 2937 (*Τροκόνδᾳ ἥρωι Μολοσσιανὸς Τερμησσεύς*) Asiani duo domesticis formis utuntur, cum nomini mortui dativo casu expresso nomen superstitis eius, qui sepulcrum illi condidit, in nominativo casu postponunt. Neque aliam causam nisi originem externam verbum insolitum *ἀνέθηκε* in epitaphio Phoenicis cuiusdam (Kaib. 96 = CIA. II, 2836) „Graece balbutientis" habere, Brückner (*Ornam.* p. 86) recte, sine dubio, cognovit.

Ex titulo CIA. II, 3308 (*Ἀρτεμίδωρος Σελευκεύς· ἐρανισταί*) apparet, collegium eranistarum socio mortuo sepulcrum condidisse; de eiusmodi collegiis etiam alibi[4]) obviis cfr. Foucart, *des associations religieuses chez les Grecs* (Paris. 1873).

---

1) *χρηστός* II, 2942. 3021. 3028. *χρηστή* 2826. 2912. 3159. 3167.

2) *χρηστός* III, 2495. 2959. *χρηστή* 2414. *χαῖρε* cum nominativo 2380. 2386. 2804. 2842 a. 2874. cum vocat. 2278. 2845. 2896 (cfr. Kuman. 2359 cum annot.); *χρηστέ(-ή) χαῖρε* cum nomin. 2405 a. 2515; cum vocat. 2366 a. 2550.

3) Cfr. e. g. LeBas. III, 2703 sqq.

4) Similia Rhodi (*Oesterr. Mitt.* VII, 133 n. 64) . . . *χρηστὸς χαῖρε· καὶ ὑμεῖς χαίρετε ἐρανισταί*; Tanagrae Collitz 960—962; Tei CIG. 3098 sqq., *Bull.* IV, 164 sqq. et in compluribus aliis oppidis Asiae et Macedoniae.

Restat, ut ad titulos Milesiorum accedamus, quorum admirabilis quaedam multitudo in Attica reperta est. Nam inter septingentos quinquaginta septem cippos peregrinorum in CIA. III, 2 p. 120—196 editos ducenti quinquaginta septem, i. e. plus quam tertia pars, et toto CIA. trecenti undetriginta Milesiorum insunt (29 in II, 3, 300 in III, 2), quorum centum triginta unus viris, centum duodeoctoginta feminis, tres viro et feminae una positi sunt, in septendecim titulis nomina mutila sunt. Kumanudes (in annot. 175 ad n. 2030) primum plerosque ex his cippis in Atticae regionibus ab urbe remotioribus (*Πειραιεύς*, *Ἐλευσίς*, *Μενίδιον*, *Διοπεῖς* cet.) inventos esse annotavit, deinde longe plures mulierum quam virorum cippos exstare, tum ex imperatorum aetate plerosque esse: undetriginta tantum aetati ante Augustum Koehler adscripsit. Quibus de causis factum sit, ut tot homines Milesii in Attica sepelirentur — nam quod antea dicebatur[1]) fuisse demum Atticum, qui *Μιλήσιοι* appellaretur, nemo iam est, qui probet — gratum id quidem, sed difficile est disquirere. Nam cum in urbe Mileto ex recentioribus temporibus testimonia lapidaria omnino rara sint — duodecim[2]) solum titulos sepulcrales inveni; inscriptio recentissima, praeter singularem illam CIG. 2895, in honorem Septimii Severi confecta videtur esse (LeB. III, 212) — conici potest, aliquando emigrationem multorum incolarum factam esse, qui in Attica consedissent, fortasse quia sinus Latmius partim iam antiquis temporibus in paludem conversus[3]) a mari aperto urbem seiunxerat et navigationi commercioque impedimento erat. Sed certi quidquam de hac quaestione dicere non queo.

---

1) CIG. ad n. 692.

2) CIG. 2890 sqq. LeB. III, 215 sqq. 1569 sq.

3) Cfr. Lolling, *Geographie v. Griechenl.* in Iwan Mülleri *Handb.* III, 256. Paus. VIII, 24, 11.

Tituli nostri vulgares formas peregrinorum in Attica sepultorum habent, cum praeter verba *χαῖρε* (2804)[1]) *ἀνὴρ Μιλήσιος* (2746), *ἥρως* (2649, 2656) nihil inveniatur, quod usui Attico obstet.

3. Homines originis incertae.

Sub hoc titulo in sectione quarta Corporis I. A. (II, 3) etiam nonnullos cives Atticos, qui demotico omisso nullo modo ab aliis discerni possunt, inesse iam supra p. 24 verisimile reddidimus, praesertim cum in nominibus civium, qui in suorum demorum finibus sepulti erant, demotica nonnumquam omissa esse constet.[2]) Plurimos tamen homines, quorum epitaphia hic edita sunt, peregrinos, nothos, servos esse suspicari, aliquotiens vel ex ipsis nominibus, licet.

Formae, quibus nomina horum hominum exhibentur, ipsae quoque Atticorum exempla — scilicet omisso demotico — plane sequuntur, pauca separatim commemorare opus est: ut mulierum nomina saepius ad formulam k) (p. 30) cum v. *θυγάτηρ* redacta esse; II, 4153 formula v) (. . . *δὲ γυνή*) exstat, 3813 formula s); in titulo 4003 (*Νανὰς Κολύζωνος ἀδελφή*) frater mortuae appellatur ut supra (p. 32) n. 2194. In singulis titulis vel genetivum nominis habemus (cfr. supra p. 29), ut II, 3627 *Διονυσίου ἐπιβολαδοποιοῦ*, II, 3943 *Μηλίδος* supra anaglyphum mulierem cum puero repraesentans, quod Brückner (*Ornam.* tab. II, 5) ex W. A. Athen Privb. 92 publici iuris fecit — quamquam hic fortasse ordine nominum mutato subintelligendum est *Ἀντιφάνης Μηλίδος*, ut non mulier sed puer prior hic sepultus esse videatur —; III, 3142 *Ἕρμωνος*, 3174 *Εὐφροσύνου;* 3077 cum nomine patris *Δημητρίας τῆς Στρομβίχου*, *Ἀριστομένους τοῦ Δημητρίου.*

1) Cfr. supra p. 33 sq.
2) Milchhöfer *Ath. Mitt.* V, 187 not.

Accedunt singularia quaedam ex Romanis potissimum temporibus, quae deinceps absolvam.

Formula *ἐνθάδε κεῖται*, quam in antiquioribus titulis antea invenimus (cfr. supra p. 22), praeterea Graeca aetate nisi in *Ath. Mitt.* XII, 298 n. 268 exstare non videtur, postea e. g. ibid. p. 93 n. 60, CIA. III, 3266. 3371 atque imprimis in christianis titulis, ut CIA. III, 3525—30, 3533; *ἐνθάδε κεῖμαι* 3527, 3551 sq. Romanorum nomenclationem referunt tituli III, 3255, 3259, 3385, in quibus ad patris nomen v. *υἱός* apponitur, sicut Latine semper f(ilius)[1].

Rarissime in his quoque titulis Graeca quidem aetate *χαῖρε* invenitur (in tredecim de nongentis titulis), cum *χρηστός* vel *χρηστή* circiter septuagies usurpatum sit; utrumque multo frequentius Romana aetate invenitur, ubi etiam *χρηστός* (*-ή,-έ*) *χαῖρε* coniunctim decies vel duodecies adhibitum est. III, 1341 verba addita sunt *πολλὰ χαῖρε· καὶ σύ*, 1378 *χαίροιτε*. Ex usu Romano in titulis III, 3301 et 3370 verbum *ζῇ* ortum est, ut supra p. 28. Singulares sunt duae inscriptiones in thecis lapidariis positae II, 4082 *Προκρίτου θήκη* et 4282 *ταφὴ Χάροπος*.

Antiquissimorum epitaphiorum metricorum initio similis est tit. II, 3804/5, qui et in tabula et in pila parva mormorea exstat: *σῆμα Ἱεροκλέο(υ)ς*.

Nonnulli mortui *ἥρωες* in cippo appellantur, III, 3199, 3412, ut supra p. 36 et 38 complures Asiani (cfr. etiam 1460); quin etiam formam Therae potissimum usitatam inveni in titulo *Ath. Mitt.* XII, 299 n. 270 *Ἀφροδεισία Εὐ[σέ]βην τὸν ἄνδρα ἀφηρώϊξεν*. Asiaticum morem epitaphii, quem supra p. 36 in duobus titulis invenimus, praebent tituli III, 1423, 3313, 3396, 3399, 3433, CIG. 926 (qui titulus in CIA. receptus non est), CIA. II, 2359 (v. supra p. 32), 3481 (*Ἀριμν[ή]στει μαμμίαι ποθεινῆ[ι]* cfr. 3127 *γυνὴ ποθεινή*).

1) Cfr. etiam III, 1807 supra p. 28.

Etiam exsecrationes et multae in titulis III, 1425 sqq. ex Asiatico usu ortae sunt.

Romanorum aetate in Atticis quoque epitaphiis nonnumquam (v. p. 28) commemoratur, quot annos natus homo mortuus sit, cum in epigrammatis iam diu is usus vulgaris fuerit.[1]) Inter civium titulos oratione soluta scriptos perpauci modo iique plane recentes aetatem mortui pronuntiant, ut III, 1460 (quem titulum formae ceterum insolitae propter vocem *ἥρως* modo (p. 39) commemoravimus), 1461 *Κόϊντος Ἀθηναίου Τυρμείδης ἐτελεύτα ἐτῶν κγ'* (cfr. 3244 *Κοσινία Ὑγίνου ἐτελεύτα*) fortasse etiam 1468, si versum extremum *Τυ]ρμ/είδης* suppleri liceat.

Quin etiam formae *ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι μνήμης* (s. *μνείας*) *χάριν* ab Attica consuetudine plane abhorrentes sero aliquotiens reperiuntur: III, 3112, 3267, 3347, 3349, 3397, 3404.

Omnibus temporibus in nonnullis titulis sepulcralibus, et metricis et solutis, nomini hominis sepulti vocabulum additum est, quo cui ordini interfuisset vel quam artem professus esset, significaretur, sicut in ipso lapide nonnumquam insignia quaedam eius artis anaglypho expressa sunt. Sed cum civibus apud veteres indignum esse putaretur, ex artificio quodam quaestum sibi comparare, civium tituli, qui talia exhibent, rari sunt; nam artifices vel opifices (*βάναυσοι*) omnes ii sunt, „quorum ita litteris et insignibus artem suam significari intererat."[2]) Quare mirum non est, ex bona aetate perpaucos eiusmodi titulos exstare: II, 2061: *Κλέοχος τεχνίτης Φιλοκράτους Εὐωνυμεύς*, II, 2343 *μαῖα καὶ ἰατρός* (mulier Melitensis), II, 2578 *Μηνόδοτος Ἑστιαίου Σφήττιος κωμῳδός;* imperatorum temporibus: III, 1442—1444 *παράδοξος*, 1434 *ἀπελεύθερος* et *ἀλείπτης παίδων Καίσαρος*,

1) Ex titulo bilingui *Ath. Mitt.* IX, 302 optime cognosci potest, quanti momenti forma Latina ad formam Graecam immutandam fuerit.

2) Verba sunt Brueckneri *Wien. Sitzgber.* p. 524, cfr. infra p. 54sq.

1440 παιδοτρίβης ἐλευθέρων παίδων, 1459 ἔφηβος, 1457 τίτθη. Ordo patris additur *Journ.* V, 155 n. 22 in sarcophago: Αἴλιος Ἐπικράτης Βερενικίδης, Αἰλίου Ζήνωνος τοῦ ἐξηγητοῦ υἱός.

De peregrinis initio duodecim ἰσοτελεῖς in CIA. II, 3 collecti commemorandi sunt, quorum uni, Melittae nutrici (II, 2729) epitaphium ab Hippostrata grata conditum erat; omnino inter mulierum titulos permultae nutrices (τίτθαι) reperiuntur: II, 3111. 3167. 3522. 3599. 4008. 4039. 4050. 4139. 4260 = III, 1458. III, 1457; τήθη 1510. Aliae mulieres appellantur ἱέρεια II, 3691. 3189, ἱματιοπῶλις II, 3650, ἁλοπῶλις II, 3932. III, 1456, . . . π]ῶλις II, 3600, τροφός II, 4109, ἀγαθὴ κυκλίστρια II, 4112, Δμωΐς III, 1310, Μουσῶν προφῆτις III, 1338, duae sorores μουσικαὶ ἐν λύραι καὶ βαρβίτωι III, 1357.

Inter virorum titulos has artium designationes inveni:

II, 2754 γνοφάλλου ὑφάντης. 2867 Γορτύνιος χαλκόπτης.[1]) 2958 κυβερνήτης. 3234 καταπαλταφέτας. 3260 b Paphlagonius μεταλλεύς. 3473 παιδαγωγός itemque 3888. 4122. III, 1451 *Ath. Mitt.* XII, 97 n. 92 cfr. III, 1440. II, 3566 μυλωθρός. 3582 χρυσοχόος. 3627 ἐπιβολαδοποιός. 3832 βαλανεύς. 3895 κεραμεύς. 4037 ποιμήν. 4048 πλυνεύς. III, 1308 λαοξόος. III, 1311 agricola significatur verbis ὁ γῆς τέμνων σταχυηφόρον αὔλακα. 1322 ἀσκητὴς σοφίης. 1327 et Kaib. 107: νούσων εἰητήρ cfr. 1445. 1335 Πό. Αἴλιος . . . υἱὸς τοῦ ἐξ Εὐπατριδῶν ἐξηγητοῦ καὶ ἱερονείκου καὶ ξυστάρχου cet.[2]) 1349 Μουσάων θεράπων ᾄδων θυμέλαισιν Ὅμηρον. 1359 Στωϊκός. 1364 ῥήτωρ μὲν εἰπεῖν, φιλόσοφος δ' ἃ χρὴ νοεῖν. 1377 ἀνθύπατος. 1434—1439 ἀπελεύθεροι. 1438 ῥήτωρ. 1441 διάδοχος τῶν ἀπὸ Ζήνωνος λόγων. 1445 ἰατρός. 1446 sq. στρατιώτης. 1448 ἐστρατεύσατο ἔτη ιγ'. 1449 πραγματευτὴς μεμισθωμένος.

---

1) Titulus saeculi quinti, cfr. supra p. 18, 2.
2) Cfr. supra *Journ.* V, 155 n. 22.

1452 sq. ἀρτοκόπου υἱός. 1454 ἀμπελουργὸς Μειλήσιος. 1455 = CIG. IV, 9317 γεωργός, quem titulum recte a Kirchhoffio christianis insertum esse verisimile est.

C. De epigrammatis sepulcralibus.

Quoniam adhuc epitaphia Attica quarti saeculi et sequentium examinantes, ut constantes formas nomenclaturae ibi adhibitae penitus cognosceremus, eos titulos paene solos attigimus, qui mera nomina continent, restat nunc, ut etiam ad epitaphia paullo verbosiora, quae versibus composita sunt, ad epigrammata, nos convertamus quodque ex iis ad epigraphicen sepulcralem melius explorandam conferri possit, percenseamus. Quodsi haec epigrammata paullo accuratius intuemur, facile quidem animadvertimus, non ita multorum indolem eam esse, quae propter materiam vel dictionem ad acrius studium nos alliciat, cum pleraque ex certis quibusdam formulis aut totis dimidiisque versibus ex Homero et poetis epigrammaticis (ut ex Simonide) depromptis et sententiis tritis consuta vel contaminata sint.[1]) Sed tamen cum nonnulla, quae sententiis propriis et verbis ad id ipsum compositis verum luctum superstitum de morte cari cuiusdam consanguinei exprimunt, etiam nunc animos alliciant, cumque omnia ad mores illius aetatis cultumque et statum vitae vulgarem explorandum quodammodo pertineant, operae pretium videtur esse, iam ad hos quoque titulos paullo propius accedere.

Atque si numerum epigrammatum cum aliis titulis sepulcralibus conferimus, etiam a quarto saeculo multo rarius ea usurpari, quam superiore aetate, ex iis quae nunc exstant, cognosci potest. Nam sicut iam quinto saeculo, etsi antiquissimis temporibus multo maior pars omnium epi-

1) Cfr. „memorias Homericas et Hesiodeas“, quas Kaibel in indice epigrammatum editionis composuit.

taphiorum, quae novimus, versibus concepta erat, titulorum solutorum numerus auctus, metricorum imminutus est, inter tot milia epitaphiorum in CIA. II, 3 et III, 2 ex insequentibus saeculis collectorum paullo amplius ducenta[1]) inveniuntur, quae versibus composita sunt. Ac si quis dicat, non omnia epitaphia, ex antiquissimis potissimum temporibus, exstare et fortunae deberi, quae habeamus, tamen id quod de numero metricorum initio maiore, postea decrescente animadverti, non mero casui tribuerim, quia omnino versus prisca aetate saepius lapidibus traditi sunt.

In CIA. II, 3 sub numeris 1673 sqq. aliquot epigrammata collecta sunt, quae publice, ut antea in monumentis hominum in bellis caesorum, in cippis incisa sunt: ut duo legati Corcyraei Athenis mortui publico sumptu sepulti, complures viri ob res in bello bene gestas a civibus epitaphiis honorati sunt.

Longe plurimos autem lapides sepulcrales hac aetate homines privati familiaribus suis mortuis condere solent, cum nonnumquam in epigrammate praeter eum, qui sepultus est, se quoque nominent: qui mos in titulis antiquissimis vulgaris erat. Sed cum hac aetate is usus a consuetudine Attica plane alienus sit, quantum quidem ex titulis, quos supra tractavimus, apparet, ne epigrammata quidem saepe ante Romana tempora eum nominant, qui sepulcrum condidit.[2]) Posteaquam autem aliena domesticis misceri in Atticis quoque epitaphiis coepta sunt, frequentiores etiam eiusmodi tituli fiunt.[3]) Saepissime vero solum nomen mortui exhibetur in certis quibusdam formulis, velut *ἐνθάδε τὸν δεῖνα ὁ τάφος (τύμβος) ἔχει* vel *καλύπτει*, . . .

---

1) Kaibel anno 1878 iam centum octoginta duo collegerat.

2) Kaib. 54. 55. 86. CIA. II, 2920.

3) Kaib. 113. 130. 131. 133. 138. 139. 143. 161. 169. CIA. III, 1307.

δέξατο γαῖα τάφῳ, ... γαῖα vel χθὼν τάφῳ κατέχει vel καλύπτει, ἐκάλυψε, vel ἐνθάδε κεῖμαι (κεῖται), τόδε μνῆμά ἐστι τοῦ δεῖνος, similibus. Variis hic vocabulis vox sepulcri exprimitur. Nam praeter vv. τάφος et τύμβος habemus nonnumquam σῆμα[1]), antea maxime usitatum, saepius etiam μνῆμα[2]), quod in Attica antea rarum erat, semel μνημεῖον,[3]) aliquotiens στήλη[4]), in recenti titulo Romanae aetatis σορός[5]). Metaphorice sepulcrum appellatur Περσεφόνης (Φερσεφόνης) θάλαμος[6]) vel δῶμα; similiter CIA. II, 3103 κοινοταφὴς θάλαμος, Kaib. 143 ἀέναος θάλαμος.

Cum epigrammata vetustiora vix ultra modum duorum vel trium distichorum excedere soleant, posteris saeculis, imprimis post diadochorum tempora et aetate Romana, epitaphia plerumque longiora fiunt, et quae tum leviter modo tacta erant, iam de mortuo multis verbis loquaciter exponuntur.[7]) In multis epitaphiis narratur, quot annos natus homo ibi sepultus mortem obierit; additur tum querimonia de vita praemature relicta[8]) tum laus senectutis beate peractae[9]); haud raro mortuus multorum liberorum et nepotum progeniem se vidisse laetatur cum formulis παῖδας γὰρ παίδων

1) Kaib. 66. 89. 116. 123. 146. 158. CIA. III, 1307.

2) Kaib. 26. 54. 86. 87. 169. CIA. III, 1324; nonnumquam verbo μνῆμα alia quoque vis subest: μνήμη vel μνημοσύνη = memoria.

3) Kaib. 55. — 4) Kaib. 52. 119. 127. 139. 163. — 5) Kaib. 173.

6) Kaib. 35. 50. 62. 98. CIA. II, 2718. 3765: eadem dictione iam Sappho (frg. 119 B.) usa est: δέξατο Φερσεφόνας κυάνεος θάλαμος; cfr. quae de mutuatis a prioribus poetis versibus supra p. 42 diximus.

7) Scilicet hoc ad verbum accipi nolo, cum ad tales leges hominum arbitrium tam stricte accomodari nequeat; namque ut epigramma Kaib. 26 quarto saeculo ortum iam ex decem versibus heroicis constat, ita etiam p. Chr. n. complures tituli morem archaicum imitati singulis versibus concepti sunt, ut Kaib. 122. 124. 126 al.

8) Kaib. 42. 74. 154. CIA. II, 3765. 4054. III, 1326.

9) e. g. Kaib. 65, saepius.

εἶδον vel *παίδων παῖδας ἐπιδοῦσα* cet.[1]) Multifariam in his titulis commemorata est causa mortis, sive hostis cuiusdam ictu homo percussus sive morbi impetu afflictus est, sive minus expresse Parcae (*Μοῖραι*) filum ita nevisse dicuntur *ἐκλώσαντο μίτοις* vel *Μοιρῶν τοῦτ' ἐπέκλωσε μίτος*.[2])

Accedit frequenter laus virtutum, quibus mortuus insignis est, fortitudinis, sollertiae et peritiae in artificio quodam[3]), quod quisque professus est, saepe omnino dicitur sepulcrum positum esse *σῆς ἀρετῆς εἵνεκα, ἕνεκα δικαιοσύνης ἠδὲ σαοφροσύνης* vel *φιλημοσύνης*.

Praeterea superstites memoriam mortui aeternam remansuram esse dictitant, multi desiderium amici vel consanguinei cari exprimunt verbis *πόθος, ποθεῖν, ποθεινός* saepissime usurpatis; alii queruntur, quantum maerorem morte sua familiaribus omnibus reliquerit (*πένθος, πῆμα λιπὼν ἐνθάδε κεῖται*). Tales sententiae postea nonnumquam in lugubres illas lamentationes effusas et laudibus refertas abierunt, ut Kaib. 152 sq. imprimisque 169. Nonnulli tituli[4]) sententiam a philosophis et poetis[5]) depromptam exhibent, quibus dicitur, corpus solum in terra remanens pulverem fieri, animam autem ad aethera evolitare, quod dictum etiam in epigrammate christiano Kaib. 175 rursus invenimus.[6]) Infimae aetatis sunt tituli Kaib. 119 et 166 = CIA. III, 1360 sq., in quibus ex more Asiatico sepulcrum violari vetitum et adversus eum, qui contra fecerit, exsecratione cautum est. Itemque tituli III, 1417 sqq. usus externos secuti sunt.

---

1) Kaib. 44. 67. 120. CIA. II, 3682. 3903.

2) e. g. Kaib. 127. 144. 153; cfr. 126
γήραι θανοῦσαν τάφος ἔχει Φιλοξένην.

3) Cfr. imprimis Kaib. 42. 101—110.

4) Kaib. 35. 89. 90. 104. 156. 159.

5) Cfr. Eurip. Suppl. 533 sq.

6) De hac re uberius disseruit Lehrs „*Populäre Aufsätze*" (über die Vorstellungen der Griechen vom Fortleben nach d. Tode).

Jam si formas epigrammatum respicimus, metra usitatissima versum heroicum et distichum esse, sed multa etiam senariis composita videmus; ex quattuor tetrametris trochaicis Kaib. 106 constat, in tit. Kaib. 154 sq. bis hexametrum dimeter iambicus sequitur. In multis epigrammatis metra plane perturbata sunt, ut Kaib. 79 duo hexametri plane corrupti et duo tetrametri trochaici exstant, 113 unum hexametrum tres pentametri sequuntur; alia cfr. in tabula metrorum apud Kaibelium p. 701 sqq., praeterquam quod innumerabilia fere menda metrica ex libidine vel inscitia auctorum illitteratorum orta sunt.

Nunc unum restat, quod animadverti volo, quis verba epigrammatis loquens factus sit, cum in hac quoque re discrimen inter hanc aetatem et superiorem intercedere videamus. Nam in plerisque titulis Atticae antiquissimis narratur modo ἐνθάδε σῆμα ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι ἐπέθηκε θανόντι, semel (Kaib. 10) conditor sepulcri loquitur, Kaib. 6 mulier sepulta, Kaib. 11 lapis sepulcralis: hanc formam in Atticis titulis illius aetatis et in aliis Graeciae partibus primis temporibus vulgarem fuisse supra cognovimus (p. 7 sq.) In posterioribus epigrammatis lapis sepulcralis aut is, qui eum posuit, raro tantum loquens inducitur, vulgo mortuus, sive solus, sive cum viatore praetereunte colloquens; quin etiam matrem antea mortuam filius ibidem postea sepultus alloquitur (Kaib. 69) et in tit. Kaib. 79 uxor mortua cum marito superstite colloquium facit. —

In epitaphiis Atticis tractandis plane fere adhuc praetermisimus inquirere, quales fuerint formae monumentorum vel lapidum sepulcralium, in quibus tituli illi exarati sunt. Sed cum in epigrammatis quibusdam commemoretur, in lapide ipso imaginem[1]) (εἰκών, μορφή, τύπος) mortui exsculptam esse,

1) Kaib. 66. 70. 84. 97. 108 (Herma!) 120. CIA. III, 1416 titulos statuariorum, quos supra p. 5 sq. tractavimus, hic omitto.

ut facies eius memoriae traderetur, cumque ex hac re titulos cum figuris expressis quodammodo cohaerere dilucide appareat[1]), nunc postquam epitaphia ipsa absolvimus, de formis et sculpturis cipporum Atticorum, quod quidem ad titulos pertineant, agere a proposito non alienum videtur.

D. De lapidum sepulcralium Atticorum formis et sculpturis.

De hac materia primum afferenda est dissertatio, quam L. Friedlaender a. 1847 Regimontii conscripsit „de operibus anaglyphis in monumentis sepulcralibus Graecis", qua primus multos errores pervulgatos, qui ad cippos Graecos universos spectabant, plane refutavit. Deinde Pervanoglu librum edidit „*die Grabsteine der alten Griechen*", in quo in cipporum formas accurate inquisivit et Friedlaenderi sententias ipse quoque probavit (praef. p. VIII). Atticorum lapidum sepulcralium formas Kumanudes in praefatione ad collectionem suam „*Ἀττικῆς ἐπιγραφαὶ ἐπιτύμβιοι*" summa cum diligentia discretas accurate descripsit. S. Reinach, *traité de l'épigr. grecq* p. 423 sq. varia genera lapidum sepulcralium leviter modo tetigit.

Novissimus in haec studia incubuit Alfredus Brueckner, qui in dissertatione a. 1886 edita, quae inscribitur „*Ornament und Form der attischen Grabstelen*" magnam copiam lapidum sepulcralium Atticorum formis et aetate diversorum diligentissime perscrutatus certa fundamenta iecit, ut quomodo stelarum pictarum et sculptarum formae et ornamenta diversis temporibus variaverint atque exculta sint,

1) Nonnumquam iam antea imagines in lapidibus expressas commemoravimus, ut p. 5, 15, 40. Cohaerere epitaphia cum formis sepulcrorum initio iam in antiquissimis titulis vidimus, in quibus duae partes monumentorum (*τύμβος* et *στήλη*) saepe afferebantur. Nuper Weisshaeupl, „*die Grabgedichte der griech. Anthologie*" in capp. II—IV quidquid ex anthologiae Graecae epigrammatis sepulcralibus de ipsis monumentis eorumque ornatu excutere posset, exposuit.

cognoscere possimus. Ac singularis quaedam vis in hac quaestione propterea inest, quod auctori iam toto apparatu typorum photographicorum uti licuit, quos academia Vindobonensis ad magnum corpus anaglyphorum sepulcralium Atticorum, quod Conzio auctore per multos iam annos praeparatur, edendum abunde collegit. Nuper etiam de anaglyphis sepulcralibus eodem apparatu, qui dicitur, Vindobonensi (W. A.) usus quaestiones quasdam ambiguas Brückner[1]) uberius tractavit, ad quas nos quoque partim in hac materia accedere opus est. Cumque ex hoc apparatu omnes quaestiones hodie pendeant, neque quidquam sine eo in hac materia absolvi possit, satis sit, hoc loco breviter, quid adhuc de singulis generibus lapidum sepulcralium exploratum sit, perstringere.

Antiquissima forma cipporum stela procera et tenuis est, quae paullatim contracta saepe in folium palmam imitans — quod nostrates *Palmette* vocant — desinit: quam formam si Brueckner (*Ornam.* p. 59) non mere Ionicam sed omnino Graecam esse dicit, recte, si quid video, iudicat. In ea stela nomen mortui inscriptum et effigies vel anaglypho vel pictura expressa erat, quae etsi in multis temporum iniuria evanuit, in nonnullis vel hodie conspici potest (v. stelas Aristionis, Lyseae, al.). Quomodo autem hae stelae procerae initio solius mortui imagine instructae[2]) postea in aediculas illas (ναϊδόσχημα Kuman., *Naiskos* Brückner) paullatim conversae sint, in quibus a finibus quinti et quarti saeculi complures figurae saepe admirabili quadam arte et magnificentia expressae exstant, Brückner (l. l. p. 60—78) monumentorum exemplis adiutus, summa cum probabilitate, meo

1) *Sitzgber. d. Wien. Akad.* vol. 116 (1888) p. 501 sqq.

2) Postea etiam plures figurae coniunctae atque ὑδρίαι sive λήκυθοι saepius in iis exstant, de quibus Kumanudes l. l. p. ιέ sq. verba facit.

quidem iudicio, ostendit. Nec solum columellis sed etiam statuis sepulcra vel VI. saeculi ornata esse ex eo apparet, quod haud pauci tituli eius aetatis in basibus statuarum sepulcralium reperti sunt,[1]) quarum etiam ex posteriore tempore nonnullae exstant.

Nova forma cipporum exeunte saeculo quinto, ut videtur, orta hydriae marmoreae sunt (*ὑδρίαι ἢ κάλπαι στερεαί* Kuman., *λήκυθοι* vulgo appellatae), quae ipsae quoque nonnumquam figuras anaglypho expressas praebent. Hi lapides urnarum illarum formam imitantur, quae fictiles quinto saeculo sepulcris imponebantur, lecythi appellatae, quarum multae picturis ad sepulcrales ritus pertinentibus ornatae etiamnunc exstant. Haec vasa marmorea omnia ante Romanam aetatem posita esse Kumanudes annotavit. Sed alterum illud, quod idem ea nisi in sepulcris hominum matrimonii expertium vulgo non inveniri ait (*λουθροφόροι*), nunc cum tot monumenta nova accesserint, pro vero accipi iam non potest. Vasa, quae *λουθροφόροι* appellantur, A. Milchhöfer[2]) in gracilibus amphoris fictilibus agnosci possi contendit, quae frequentes superne in terra tumulorum repertae sunt.

Romanis potissimum temporibus parvae columellae rotundae (*κιονίσκοι* Kuman.), coronis superne cinctae, marmoris Hymettii plerumque, non Pentelici, sepulcris imponi solebant, frequentes adhuc servatae. Anaglypha in his cippis vulgo non reperiuntur, numquam fere plus quam unum nomen exhibent.

Praeterea infima aetate saepius cippi antiqui, qui antea iam inscripti erant, ad novas inscriptiones denuo adhibiti sunt, cum prius nomen partim eraderetur — quod

---

1) Cfr. Loeschke, *Ath. Mitt.* IV p. 294 sqq.

2) *Ath. Mitt.* V, 176 sq. cfr. etiam Furtwaengler, *Samml. Sab.* ad tab. 58.

hodie quoque haud raro cognosci potest — partim intactum remaneret. Tales lapides, quorum duo nomina diversis temporibus posita etiam nunc legi possunt, cum non ita multi sint, omnes ex Kumanudis libro, in quo accurate significati sunt, exscripsi:

1. Kum. 54 = CIA. III, 1497 initio civis ἐξ Ἀζηνιέων inscriptus est, postea T. Flavius Atticus.
2. Kum. 57 = III, 1490 et Kum. 1831 = II, 3013.
3. Kum. 85 = III, 1510 et Kum. 2414 = III, 2914.
4. Kum. 161 = II, 1784 et Kum. 3566 = III, 3445.
5. Kum. 167 = III, 1544 et Kum. 1249 = III, 2084.
6. Kum. 176 = II, 1796 et Kum. 3193 = III, 3303.
7. Kum. 184 = III, 1309.
8. Kum. 268 = III, 1581 et Kum. 940 = III, 1907.
9. Kum. 428 = II, 1997 (duo homines, qui postremo inscripti sunt, alius demi sunt).
10. Kum. 440 = II, 2008 et Kum. 3293 = III, 114.
11. Kum. 551 = II, 2093 et Kum. 2213 = III, 2754.
12. Kum. 565 = III, 1709.
13. Kum. 988 = III, 1936.
14. Kum. 1000 = III, 1946 et Kum. 2146 = III, 2690.
15. Kum. 1005 = III, 1948 et Kum. 1030 = III, 1459.
16. Kum. 1043 = II, 2480 et Kum. 2034 = III, 2581.
17. Kum. 1096 β' = III, 1991 (posterius nomen manu secunda inscriptum).
18. Kum. 1143 = II, 2554.
19. Kum. 1247 = III, 2079 et Kum. 2240 = III, 2787.
20. Kum. 1301 et 2238 = III, 2072.
21. Kum. 1817 = III, 1427 et Kum. 2711 = III, 1427.
22. Kum. 1991 = II, 3165 et Kum. 3588 = III, 3453.
23. Kum. 2065 = III, 2762 et Kum. 2069 = III, 2164.
24. Kum. 2119 = III, 2656.
25. Kum. 2237 = III, 2780.
26. CIA. II, 1854 = III, 1570 = Kum. 241: nomen

Philinnae initio solum in lapide fuisse, alia postea demum addita esse, ex lapide denuo inspecto apparuit.

27. CIA. III, 1979: primum versum Dittenberger primus recte interpretatus est, qui etiam hunc lapidem Romana aetate bis inscriptum esse ostendit.

Sed redeamus nunc ad Graecorum temporum usum videamusque, quemadmodum cum his, quas attuli, cipporum formis et mortuorum figuris anaglypho repraesentatis, tituli cohaereant.

Nomina mortuorum bona aetate in stelis et aediculis illis sive fastigio sive foliorum ornamento insuper ornatis semper supra anaglyphum in tabula ipsa vel in epistylio posita sunt: nomina infra anaglyphum scripta lapidem recentioris aetatis esse testantur. In multis anaglyphis, maximeque in lecythis, nomina etiam ad ipsas hominum figuras adscripta sunt, quo facilius illi cognoscerentur. Nam saepe accidit, ut praeter mortuum etiam familiares eius in anaglypho appareant et duo vel plures homines ibi coniuncti sint. Tum ultro non semper patet, ad quemnam nomen insuper separatim positum referri debeat, qua figura homo mortuus, quibus superstites repraesentati sint. Errare enim eos, qui mortuos semper figuras sedentes in his compositionibus esse putarent, L. Friedlaender (l. l. p. 1 sqq.) primus recte docuit. Huc pertinent etiam, quae Pervanoglu in libro supra laudato p. 53 sqq. exposuit. Tamen variis modis homines mortui inter complures alias figuras notabantur. Nam saepius e. g. figura mortui multo maior est, quam alii circumstantes, vel liberi vel servi,[1]) ut Xanthippus sutor ultro inter liberos suos parvos agnoscitur (v. Brueckner *Ornam.* tab. II, 2), alibi, ut in anaglypho a Brueckner tab. II, 3 edito, habitu et forma ex hominum caterva

1) Cfr. F.-W. ad n. 1011.

mortuus ipse facile praeeminet. Nonnumquam nomen etiam in eo lapidis latere, in quo figura, ad quam pertinet, positum est, ut in anaglypho in Brueckneri tab. II, 6 sic tantum cognosci potest, de duabus illis feminis dextram mortuam esse. Sed dubium esse puto, utrum in anaglypho quinto eiusdem tabulae *Μηλίς* an *Ἀντιφάνης* an uterque mortuus sit: verisimilius quidem per se est, puerum a matre ibi sepultum esse, quo accedit, quod iam supra p. 38 alias ob causas Antiphanis epitaphium hoc esse suspicatus eram et nominum ordinem propterea immutatum, ut unumquodque super ea figura staret, ad quam referendum est.

Neque vero unum modo, sed in multis lapidibus complura nomina ad omnes homines anaglypho expressos pertinentia inscripta sunt, quae unius familiae esse solent. Frequentissime coniuges uno in lapide sculpi et nominari videntur, tum apertis verbis notati, ut CIA. II, 1716 (*Ακταίου Ἀθμονέως γυνή*), 1874, 1922, al., tum, si mera nomina viri et mulieris iuxta scripta sunt, ex priorum similitudine agnoscendi: vide e. g. II, 1718 et quae ibi annotaverit Koehler; F.-W. 1048. 1050. In magna parte lapidum, qui complura nomina exhibent, unus modo ex iis, qui nominati sunt, ibi sepultus est, reliqua nomina ad familiares superstites adscripta sunt, ut in titulis II, 1902, 2040, 2249, 2287, aliis.[1]) Sed exstant etiam tituli, quorum nomina omnia ad homines sub eo lapide sepultos spectare credendum est, ut e. g. II, 1790 (cfr. supra p. 24), 2332[2]), 2379[3]), alii multi,

---

1) V. etiam anaglyphum a Bruecknero, *Sitzgber.* p. 530 depictum; in nonnullis cippis imago olim picta evanuit, nomen incisum remansit.

2) Hic titulus, quantum video, solus est, in quo demoticum ad tria nomina relatum in plurali positum est; similia sunt in titulis II, 3313 (*Σήστιοι*), III, 2716 (*Μιλήσιαι*), *Ath. Mitt.* XIII, 207 (*Παλῆες*). Dualis gentilicii II, 3362 (*Σκιωναίω*) exstat, qui titulus secundum Meisterhans. *Gramm. d. att. Inschr.* p. 95 sq. ante annum 341 scriptus est.

3) Singulare est, quod ad mulieris nomen verba *μήτηρ δὲ Πλάτωνος* apposita sunt, cfr. II, 3503.

quin etiam catalogos totarum familiarum habemus, multa hominum genera continentes, ut II, 1766, 1948, 1997, 2250 cet., in quibus haud raro etiamnunc distingui potest, quae nomina prius, quae posterius, simulatque unusquisque sepeliebatur, lapidi incisa sint.[1]

Ex titulis II, 1872/4 et 2024/6 apparet non solum marito et uxori singulares cippos positos esse, sed etiam utrique commune monumentum, fortasse a liberis, exstructum esse. Idem nomen in duobus lapidibus eiusdem sepulcri eiusdemque temporis exaratum tituli 2408/9, 2524/5, 3804/5 aliquot alii praebent;[2]) interdum enim in basi marmorea sepulcro imposita et in lecytho vel pila in eadem exstructa nomen sepulti incisum est; aliquotiens etiam in eadem basi duo epithemata, quae vocantur, posita sunt, de quibus idem Brueckner (*Sitzgber.* p. 501 sqq.) egit. Atque quoniam artissime cohaerere titulos permultos cum operibus anaglyphis ex his, quae modo exposuimus, apparet, ad ea paullo propius accedere necesse est.

Antiquissimis temporibus figura mortui corpore erecto stantis spatium stelae, in quam satis angustam vi quadam coartata erat, totum explebat, raro angustum spatium, ut in stela Lyseae, infra separatum erat. Postea vero, iam inde a saeculo quinto, de stela vel tabula dimidia fere vel tertia pars imagine minus alta sed latiore occupata est, quae mortuum eo habitu ostendebat, qui vitae eius respondebat: bellatorem pugnantem, si quis in pugna occisus erat, (cfr. supra p. 15), Xanthippum sutorem in sella sedentem et formam calcei manibus tenentem, (Brückner *Ornam.* tab. II, 2. F.-W. 1019), Mynno mulierem, quae stamina neverat, cum fuso et calatho (v. Furtwaengler. *Samml. Sab.* tab. XIX)

---

1) Fortasse hac de causa in titulis II, 1918, 2134 aliis litterarum formae (*N* et N) variant.

2) Cfr. Kuman. p. *ιδ'*.

cet.[1]) In omnibus talibus anaglyphis, qualia attuli, et aliis permultis mortuos idem agentes videmus, quod olim in vita agebant, et eodem modo expressos, quasi vivi sint, cum longissime omnino absit cogitatio, mortuum ut divum vel heroem in his cippis repraesentatum esse: quae cogitatio a genuina indole et ingenio populi Attici, quod quidem ex titulis et anagyphis sepulcralibus colligi liceat, plane aliena est. Quare Bruecknero facere non possum, quin assentiar, qui (*Ornam.* p. 84 sq.) exposuit, cipporum formam aediculis similem initio minime ex fano vel templo (ἡρῷον) mortuis ut heroibus consecrato, sed causis tectonicis solum ex simplicibus tabulis aëtomate ornatis ortam esse. Hoc modo antis utrimque clausa innumerabilia fere anaglypha et in stelis et in tabulis amplioribus imagines mortuorum eorumque familiarium schematis quam maxime variis compositas exhibent, cum saepissime una figura, sive vir, sive mulier in medio sedens repraesentata sit, et circum eam alii homines saepe manibus iunctis (δεξίωσις) et ministri adstent, nonnumquam omnes viri et mulieres stantes, parentes cum liberis, interdum mulier sedens cum ancillis se ipsa ornans vel caput velamine involvens aliaque multa, quae ne enumerare quidem in tanta multitudine operum omnia possum.

De his singillatim et absolute agere tum demum licebit, cum corpus illud anaglyphorum Vindobonae diu praeparatum aliquando editum erit. Priore tempore Pervanoglu (*Die Grabsteine d. alt. Griech.*) cum in eam materiam inquireret, haec quoque opera Attica accurate percensuit, rectissime, meo quidem iudicio, ipse quoque non apud inferos, ut quidam volunt, sed in vita cotidiana haec omnia fieri ratus, cum mortui quasi vivi a familiaribus carissimis et famulis fidelibus et animalibus praecipue dilectis circumdati sunt. Interdum iam mors uni ex familia imminens capitibus leviter

1) Cfr. Brueckner, *Sitzgber.* p. 524.

inclinatis vel tristitia quadam et tranquillitate per vultus omnium diffusa venustissime indicata magis quam expressa videtur. Ita placidissima et quasi caelesti pace perfunduntur opera, quibus mater cum infante praemature mortuo vel ipsa ex partu peritura conspicitur, vel mulier ante mortem velata una cum marito et liberis vel iuvenis ad bellum proficiscens parentibus valedicens, cum sub specie belli mortem ipsam brevi ei subeundam praesagiamus. Omnino mortui saepius velut discedentes[1]) ex coetu familiarium repraesentati sunt, quasi longum iter parent: atque hoc solum est, in quo pauca ad mythologiam spectantia in his anaglyphis expressa habemus, sicut in vase quodam[2]) Myrrhinen a Mercurio ad Orcum duci vel alibi[3]) Charontem in scapho appropinquasse videmus.

Titulos sepulcrales ipsos, quippe qui Athenis sola nomina exhibeant, nihil ad haec opera interpretanda conferre per se patet. Nam *χαῖρε* illud, quo fortasse mortuum a superstitibus valere iuberi putaveris, duobus fere saeculis postquam tales imagines componi coeptae sunt, idque in Attica omnino rarissime in titulis exstat: quamquam si manibus iunctis vir et mulier vel duo viri repraesentati sunt, quorum alter titulo ipso mortuus designatur, decessus ex vita nonnumquam sub specie itineris, quod vivus suscipiens suos valere iubeat, repraesentari videtur. Nunc de hac re plerique ita iudicant, datis dextris, id quod Graece *δεξίωσις* appellatur, familiaritatem et amorem, quo homines ita compositi inter se coniungantur, significari.[4]) Judicium admodum sanum atque integrum, mea quidem sententia, in hac quae-

---

1) Contra hanc sententiam disputaverunt F.-W. p. 326 et Furtwaengler, *Samml. Sabur.* praef. p. 43—47.

2) *Ath. Mitt.* IV, 183.

3) F.-W. 1057. *Ath. Mitt.* V, 181 not. Cfr. Kuman. p. *κέ*.

4) V. Weisshaeupl. l. l. p. 100 et eos locos, quos ex anthologia Graeca laudavit.

stione Brückner (*Sitzgber.* p. 531 sqq.) adhibuit, cum item Furtwaengleri sententiae adversaretur, qui homines ita iunctis manibus repraesentatos et a familiaribus circumdatos apud inferos sese salutare arbitratur.[1])

Restat etiamnunc aliud genus anaglyphorum, ea dico, quibus cena sepulcralis repraesentatur. Quae omnia etsi primo recentioris aetatis esse putabantur, tamen nunc vel ex quarto et quinto saeculo aliquot exempla illius cenae cognita sunt. Paullo post eadem in omnibus fere regionibus, ubi Graeci habitabant, atque etiam in monumentis Romanis et Etruscis pervulgata sunt. Omnibus communis est vir in lectulo reclinatus, sinistra pateram tenens; ad eius pedes in fine lectuli vel in sella sedet mulier saepe canistrum frugibus vel aliis dapibus plenam ei offerens; plerumque puer ministrans prope craterem quendam conspicitur. Ante lectum parva mensa tripes adstat, in qua varii cibi compositi sunt[2]); in permultis lapidibus, qui velut anathemata facti sunt, apparent etiam complures homines minores post tergum mulieris in sinistra parte sedentis. Longum est, quidquid de his monumentis fere innumerabilibus adhuc excogitatum atque propositum sit, hic afferre vel recensere, praesertim cum ne minimum quidem cum titulis sepulcralibus connexum habeant. Hoc dico, nullam causam, meo quidem iudicio, esse, cur non in his quoque anaglyphis Atticis, sicut in superioribus, scaenam ex vita cotidiana sumptam cognoscamus, neque ullo modo adduci me posse, ut putem, sublimiora quaedem gaudia mortuorum, quasi hominum

---

1) Cfr. quod Studniczka de figuris anaglyphi Chii *Ath. Mitt.* XIII (1888) p. 193 n. 13 dicit.

2) Mensa rarissime omissa est, cfr. Hollaender, de anagl. sepulcr. Graec., quae cenam repraes. dicuntur (1865) fig. *A* et *B*, quarum alteram (*B*) exempli gratia falso hic adhibitam esse, cum cena minime designata sit, ex ectypo gypseo Berolinensi apparet, cfr. F.-W. n. 1055 et n. 1052.

sacris fruantur, ita adumbrari. Cur mortuum reclinatum nullis insignibus notatum hic subito velut divum vel heroem repraesentatum esse nobis persuadeamus[1])? Nam Stephanium (*ausruhender Herakles* p. 72 sqq.) et Pervanoglu (*Das. Familienmahl auf altgriech. Grabsteinen*, 1872) et alios secutus, lapides sepulcrales a dedicatoriis eiusdem generis secernendos esse censeo, id quod Brueckner (*Ornam.* p. 83 sq. not. 3) et Furtwaengler (*Samml. Sabur.* praef. p. 28 sqq.) accuratius persecuti sunt: in dedicatoriis enim heroes repraesentatos esse nemo est, qui dubitet.

IV.
Atticorum titulorum formae tota Graecia usitatae.
(IV sqq. saeculis.)

Nunc quoniam titulos et lapides sepulcrales Atticos separatim a bello Peloponnesiaco usque ad infima Romanorum tempora percensuimus, ad cetera epitaphia Graeca rursus nos convertamus, quae ad finem saeculi quinti persecuti sumus. Iam tum in nonnullis veteres consuetudines mutatas et novas nominum formas, quas apud Atticos semper mansisse modo vidimus, invasisse animadvertimus: nomen mortui non in genetivo casu, ut antea, sed in nominativo ponitur, cum nomine patris, interdum mariti, si mulier mortua est, addito demotico aut gentilicio, si quis non in patria humatus est.[2]) Atque ex hac aetate nomina mortuorum

---

1) Nam vel Milchhöfer (*Ath. Mitt.* V, 167) concedit, aliter atque in heroibus aliarum regionum in his Atticis figuris humani aliquid et humile — genrehaftes — inesse.

2) Haec lex in terris Graecis fixa est, ut peregrinis modo gentilicium adderetur; duos titulos solos (CIG. 2421 b et 2439 b) huic usui

tota Graecia, in omnibus insulis aliisque civitatibus Graecis, ex quibus tituli sepulcrales exstant, per longum tempus semper in hac forma Attica tantum posita sunt, imprimisque in insulis atque in urbibus maritimis Graeciae et Asiae, ubi frequentissimus peregrinorum concursus esse solebat, multa nomina peregrinorum cum gentiliciis inveniuntur. Quin etiam Thyatiram, in oppidum Lydiae, quo Macedones non ita multo post Alexandri Magni tempora coloniam deduxerunt (cfr. *Ath. Mitt.* XIII p. 1 sqq.), hunc usum a colonis illatum esse epitaphium huius loci antiquissimum ex saeculo tertio ineunte: *Μενέδημος Νεοπτολέμου Μακεδών* (*Bull* X, 398, 1) docet. Eiusdemque temporis est stela musei Berolinensis (*Verz. d. Skulpt.* n. 781) cum titulo *Ἀμύντας Ὀλυμπίχου Μακεδών*, quae etsi Smyrna asportata esse dicitur, fortasse ipsa quoque ex una de coloniis illis in Hyrcania conditis orta est.

Ampliora exempla huius usus ex diversis locis afferre supersedeo, quia isti tituli mera nomina et gentilicia in certis illis formulis exhibentes hic tanti momenti non sunt; sed paulisper in iis epitaphiis consistamus, quae Atheniensium nomina extra Atticam sepultorum continent. Etenim in regionibus sub Atheniensium potestatem redactis et in oppidis, in quibus coloniae Atticae constitutae erant, cleruchi et coloni eorumque progenies sicut civitatem Atticam ita ordinarias civium nominum formas cum demotico retinent, quamdiu ibi imperium Atheniensium constat; tales titulos habemus e. g. Oropi,[1]) in oppido tum Atheniensium, tum

---

adversantes inveni, in quibus Naxia et Melius domi sepulti gentilicium habent. Aliter res in Asia, in Lycia potissimum, comparata est, cfr. G. Hirschfeld in „*Königsberger Studien*“ 1887 p. 112 sq.

1) *Ath. Mitt.* III, 323 sqq. = LeB II, 481. 473. *Bull.* III, 198 sqq.

Boeotiorum potestati subiecto, Euboeae,[1]) Scyri,[2]) Imbri,[3]) Lemni,[3]) Sami,[4]) cum omnibus aliis locis in epitaphiis — sicut in titulis statuariorum — gentilicium Ἀϑηναῖος nomini civis Attici additum sit.[5]) Exempla huius consuetudinis praeter epitaphium Lesbium *Εὐέλϑων Πυϑίππου Ἀϑηναῖος* (CIG. 2211 d Add.) et CIA. III 1471 sqq., de quibus supra dixi, titulos Rheneos (LeB. II, 1925 sqq.) afferre satis sit, inter quos complures tales inveniri possunt. Quod posteris temporibus *χαῖρε* illud tota fere Graecia usitatum vel in civium Atticorum epitaphiis extra Atticam interdum invenitur, mirandum non est, etiamsi domi numquam illud verbum receptum est.

Quamquam in universum hac aetate formae Atticae praevalent, tamen singularia quaedam compluribus ex locis afferenda sunt. Ac primum quidem Thessaliam respicientes videamus, quomodo ibi formae legitimae dialecto domestica mutatae sint. Nam cum pro nomine patris in genetivo posito adiectivum patronymicum in forma Thessalica usurparetur, quod omnino affinitatem et possessionem quandam significat[6]), formulae Atticae a)—c) (p. 25) — demotico scilicet omisso — ita conversae sunt: *Ἀναξαγόρας Κρουκίναιος* (*Ath. Mitt.* VIII, 114 n. 5); pro formula t) habemus titulum sic comparatum: *Κρατεισία ἁ Ἀστομειδεία γυνά* (ibid. n. 29) et pro formula q): *Πουτάλα Πουταλαία κόρα, Τιτυρεία γυνά* (*Hermes* XIII, 395, cfr. supra p. 7, 3). Sed ut hoc patronymicum dialecti non solum Thessalicae sed omnino Aeolicae proprium esse iam supra p. 11 animadvertimus, etiam Assi in Asia Aeolide tituli eiusdem formae in parvis lapidibus cubo similibus nuper reperti sunt (*Pap. of amer. school* I p. 74 sq.).

---

1) CIG. 2151. 2151 d. 2152 c. e. — 2) *Bull.* III, 64 sq.
3) Conze, *Reisen auf d. Inseln d. thrak. Meeres* p. 86. 93. 101.
4) *Ath. Mitt.* IX, 260 sqq. cfr. *Bull.* V, 489 n. 18 et supra p. 16.
5) Cfr. *Bull.* I, 44 sqq.
6) Meister, *griech. Dial.* p. 196 sqq. 308 sqq.

Mos proprius Thessalorum est, ut Hermae in cippis sepulcralibus anaglypho repraesentati vel ipsi loco stelarum positi sint. Utrique Mercurio dedicati esse videntur verbis incisis *Ἑρμάον χθονίου*, rarissime in lapidibus recentibus sermone vulgato *Ἑρμῇ χθονίῳ*[1]), qui usus tota Thessalia plane vulgaris est. In uno oppido ad mare sito, Pagasis, neque Hermae illi neque adiectiva patronymica exstare videntur, sed in tabulis sepulcralibus nomen patris semper genetivo expressum ut apud ceteros Graecos invenimus. Ad id multum valuisse puto, quod magnus numerus peregrinorum in hoc oppido habitasse videtur, siquidem recte hoc ex multitudine cipporum, in quibus gentilicium exstat, colligi potest.[2]) Inter homines ibi nominatos complures *Κρῆτες Τυλίσιοι* ex oppido Cretae Tyliso orti sunt, et in titulo *Arch. Zeit.* 1876 p. 286 n. 6 etiam *Κρὴς Λίττιος*. Epitaphium *Ath. Mitt.* l. l. n. 13 formam legitimam matronarum exhibet: *Κρατησὼ Κλεοβούλου, Σκόπα γυνή.*

In insula Samo in titulis saeculi quarti, quorum plerique formis Atticis ubique vulgatis similes sunt, nonnulli[3]) reperiuntur forma plane inusitata concepti, qui nomen mortui, semel cum gentilicio, in dativo exhibent: *Μαιανδρίωι Ἀπολλοθέμιος Κυζικηνῶι.* Quae res quarto saeculo in Graecia tam singularis est, ut nihil aliud huic simile afferri possit. Nam quotquot titulos sepulcrales ex hac aetate editos inveni, in nullo eadem forma exstat neque ipsius Sami alios titulos verbosiores habemus, quibus hos interpretari possimus. Nam si sententiam complere volumus, ita fere scribi potuit: „Maeandrio monumentum conditum est“ vel „condidit aliquis“, ut e. g. in titulis Amorginis antiquioribus supra p. 10. Sed si hoc ponimus, ex analogia omnium similium

1) *Ath. Mitt.* XI, 55 sqq. n. 36. 38. 45.
2) Cfr. potissimum LeB. II, 221 sqq. *Ath. Mitt.* XI, 47 sqq.
3) *Bull.* V, 489 n. 15—17. *Ath. Mitt.* IX, 260 b.

titulorum posteris saeculis frequentissimorum, nomen eius addi necesse erat, qui monumentum condidit. Quod cum omissum sit, hos titulos, ut sunt singulares, notare debemus, cum nihil amplius de tali usu addere possimus.[1])

Cypri praeter vulgares formas Graecas haud paucos titulos sepulcrales signis domesticis, quae totas syllabas repraesentant, et dialecto Aeolica compositas habemus, qui etsi eodem casu (genetivo), quo ceteri tituli Graeci antiquissimi, utuntur, tamen cum illis vix componendi sunt, ut *Ἀριστίjαν ἠμί* (Collitz n. 20) vel *Ὀναίων* (genet.!) *Νασιάταν ἠμί* (ibid. 21) multique alii; raro in his Cypriis nomen in nominativo positum est, ut *Ὀνασικύπρα ἁ Ὀνασιδάμω* (ibid. 24); nonnumquam mortuus ipse loquens inducitur: *Ὀνασικύπρας· ἁ Τιμωρώμω γυνά ἠμι* (n. 22), *ἐγώ ἠμι Ἀριστοκρέτης* (n. 71).

Fortasse cum his titulis Cypriis, certe inter se arte cohaerent permulti illi tituli sepulcrales iam inde a quarto saeculo scripti ex insulis Doricis, quae inter Cretam et Asiam inter occasum solis et meridiem spectantem sitae sunt, Rhodum dico, Coum, Casum, Carpathum, et tituli ex contraria ora Cariae et Lyciae, cum omnes item mortui nomen in genetivo exhibeant, addito plerumque nomine patris et hic illic gentilicio vel demotico.[2]) Exempla satis multa praesto sunt: Rhodi *Σαμοκλεῦς Σαμοκλεῦς Παλαιοπολίτα* (*Ath. Mitt.* IX, 385 sq. cfr. X, 73 sqq. *Bull.* V, 333 sqq., X, 163 sq.), *τῶν κατὰ τὸν σεισμὸν τελευτασάντων* (*Bull.* II, 617 n. 5) in sepulcro, quo

---

1) Huic formae proxime accedunt aliquot tituli Macedonici saec. III, qui mortuo heroi dedicati videntur: *ἥρωι Ἡροπύθωι* et *Τιμοζήλωι Δαφναίου ἥρωι* (*Archiv. des miss. scient. et litt.* 1876, p. 270 n. 115 et p. 246 n. 77).

2) Quomodo non solum tituli sed ipsa monumenta sepulcralia harum insularum cum Lyciis cohaereant, ex descriptionibus Rossii (*arch. Aufs.* I, 60 sqq.) et Benndorfii (*Reisen in Lykien und Karien* I „Rhodus“) optime cognoscitur.

multi una conditi erant. In aliis, quae possessores vivi exstruxerant, post nomina vox *ζώντων* posita est; Coi aetate Romana *Γαΐου Σηΐου Ἀντιόχου καὶ γυναικὸς καὶ τέκνων* cet. (CIG. 2520), Casi *Θευτίμου Τιμαράτου Εὐθηνίτα* (*Bull.* IV, 121 cfr. X, 269), deinde Cnidi (LeB. III, 1575 sqq.), Halicarnassi pauca, permulta Alabandis recentioris aetatis cum verbis *ζῇ* vel *ζῶσιν*, quia ex more Asiatico homines vivi monumenta ipsi sibi condiderunt. Maxime autem in ora maritima Lyciae Graecos ex insulis eo transvectos suis formis usos esse ex crebris titulis ibi repertis apparet, quorum haud pauci saeculo quarto orti sunt: ut Telmissi *Ἀμύντου τοῦ Ἑρμαπίου* (CIG. 3402, cfr. Benndorf „*Reisen*" I, p. 40 sq.), qui titulus unus ex antiquissimis totius Lyciae est; prope vicum, cui hodie nomen est Hoirân, *Τληπολέμου τοῦ Τληπολέμου τοῦ Τληπολέμου Μυρέως* (ibid. p. 31), Myris *Φοίνικος Τυρίω* (in dialecto Dorica, LeB. III, 1319 = CIG. 4315p Add.) et in aliis oppidis ad mare sitis: Aperlis, Antiphelli, Limyris.

Neque vero semper merum nomen in his epitaphiis Lyciae invenitur, sed iam in titulo satis vetusto Antiphelli reperto legimus *τὸ μνῆμα Μέντορος τοῦ Ἰδάπρου* (CIG. 4300u) et multi similes Telmissi exstant, in quibus genetivus nominis pendet ex substantivo *τὸ μνῆμα* vel *μνημεῖον*, etiam *προγονικόν*; saepius quoque dicitur *τὸ μνῆμα ἐστὶ τοῦ δεῖνος*. Quomodo autem iam bona aetate vel in titulos Graecos huius regionis usus vernaculus Lyciae invaserit, qui tertio potissimum saeculo et insequentibus per omnes fere Graeciae partes propagatus est, et quae aliae formae recentiores hac aetate ortae sint, alio loco exponere mihi in animo est.